



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvttatio XXXVI. Quid sint Angeli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

DISPUTATIO TRIGESIMA-SEXTA.

Quid sint Angeli?

- Sect. I. *Virum Angeli sint incorporei, & pure spirituales?*
 Sect. II. *Oppositiones contra doctrinam precedentem.*
 Sectio III. *Cuiusmodi-natura sint Angeli? finita, an infinita? simplici
an composita?*
 Sectio IV. *Virum Angeli sint naturaliter incorruptibiles?*
 Sectio V. *Proponitur sententia affirmans Angelos esse naturaliter
incorruptibiles.*
 Sectio VI. *Praefertur sententia negans, & respondetur argumentis
oppositis.*
 Sectio VII. *De numero Angelorum.*
 Sectio VIII. *De specifica distinctione Angelorum.*

DE quidditate, siue essentia, & substantia Angelorum disputat S. Thomas tota quest. 50. Et art. 1. docet Angelos esse omnino incorporeos. Quia cum Deus in rebus creatis precipue intendat bonum, quod consistit in assimilatione cum Deo: debuit producere naturas pure intellectuales, que ipsi assimilentur in eo per quod omnia producit, nimirum in intellectu & voluntate. 2. Angelos non esse compositos ex materia & forma: quia substantia intellectualis est omnino immaterialis. Operatio enim cuiuslibet rei est secundum modum substantiae eius. Intelligere autem est operatio penitus immaterialis: nam vnumquodque intelligitur in quantum a materia abstrahitur. Ergo substantia naturae intelligentis est quoque penitus immaterialis. 3. Angelos esse in quadam multitudine maxima omnem materialem multitudinem excedentes. Quia eam perfectio vniuersi sit illud, quod precipue Deus intendit in creatione rerum; quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata a Deo. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem: ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Videmus autem corpora corruptibilia, que sunt perfectiora inter corpora, excedere quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corruptibilia: Nam tota sphaera actiuorum, & passiuorum, est aliquid modicum respectu corporum coelestium. Unde rationabile est quod substantie immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter.

4. Om

4. Omnes Angelos differre specie inter se: neque fieri posse ut dentur plures Angeli eiusdem speciei, & solo numero diuersi: quia differentia numerica & individualis, sumitur à materia: Angeli autem non sunt compositi ex materia & forma 5. Angelos secundum naturam suam esse incorruptibiles. Quia nihil corrumpitur nisi per hoc, quòd forma eius à materia separatur. Angeli autem non constât materia & forma. Hæc D. Thomæ sequentibus sectionibus examinabuntur.

SECTIO I.

Utrum Angeli sint incorporei, & pure spirituales?

Probat
angeli
esse pure
spirituales,
ex Script.

ANGELOS esse incorporeos & pure spirituales insinuat Scriptura, quæ omnes bonos æquæ ac malos, constantissime spiritus vocat: non ita ventos, ac rem, homines, siquæ pure vel ex parte materialia. Licet enim quædam ex illis nomine spiritus aliquando significet: non tamen ita constanter & frequenter, ac Deum, Angelos, & animam rationalem, neque eadem vocis proprietate. Speciatim vero notandum est 1. Cor. 2. v. 11. animam rationalem vocari spiritum eadem vocis proprietate, quæ Deus dicitur spiritus. Angeli autem non sunt minus proprie spiritus, quam anima rationalis. Notandum præterea, quod nisi Angeli essent tota sua natura pure & ingregrè spiritus, sed ex parte tantum; Scriptura non eos simpliciter vocaret spiritus in proprietate vocis. Nam homines, licet partim ex spiritu constantes, negatur esse spiritus in Scriptura, etiam post resurrectionem, quando constant ex corpore subtile & glorioso: ut videre est Luc. 24. v. 39.

2.
Probat
efficaciter
ex Lateran.
vienti.

Suar.

Idem secundò docet, & ut puto, expressè definit Concil. Lateran. cap. Firmiter, de Summa Trinitate, affirmans Deum sua omnipotentis virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam: & deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Vbi Nota primò, cum Suarez lib. 1. de Angelis cap. 6. num. 10. hæc omnia dici in professione fidei, cuius omnes assertiones sunt definitiones: cuiusque initium est, Firmiter credimus, & simpliciter confitemur. Et quicquid sub his verbis de Dei substantia & attributis ac Trinitate docet, dogma esse fidei creditur. Postea vero de ipsius operatione primùm sic ait: *Primum vniuersorum principium, creator omnium spiritualium & corporalium*: quod etiam pertinet ad definitionem fidei. Tum eodem tenore prosequitur: *qui sua omnipotentis virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritalem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam: & deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.* In quibus etiam verbis, quòd Deus ex nihilo spiritalem sub-

stantiam condiderit, & quòd homo constet ex corpore & spiritu, ad definitionem quoque fidei pertinent. Sicut & quòd immediate subditur, demones non à natura, sed à se malos esse. Mirum ergo est, & parum probabile, quòd solùm pauca illa verba interposita de distinctione naturæ Angelicæ à corporea, & à composita ex corpore & spiritu, obiter tantum, & non sub eadem certitudine dicta credantur. Ita Suarez, contra quem libet addere mirum pariter esse & parum probabile, particulas, *simul ab initio temporis* &c. obiter tantum dictas fuisse, & non sub eadem certitudine, ut ipse affirmat cum multis aliis, quos præcedenti sectione refutauimus.

Nota secundò, Concilium verbis relatis, per naturam spiritalem & corporalem, angelicam scilicet & mundanam, & deinde humanam, intelligere naturas completas: quarum primam dicit esse pure spiritalem, secundam pure corporalem, tertiam mixtam, id est, ex spiritu & corpore constitutam. Certum autem est quòd nomen spiritus, & spiritualis, sumit in sensu proprio. Tum quia Concilia proprie loqui debent, præsertim in professione fidei. Tum etiam quia sumit spiritum & spiritale, eodem sensu quo anima rationalis dicitur esse spiritus. Atque ex Lateran. sub Leone X. sess. 8. de fide est animam rationalem esse proprie spiritalem, & spiritum proprie dictum. Quare ex verbis Concilij superius relatis habetur naturam angelicam completè sumptam esse verè ac proprie spiritalem: addeoque angelos esse puros spiritus, nõ autè partim ex spiritu, partim ex corpore aliquo, tenui licet & subtile, constitutos, ut aliqui opinati sunt. Loquitur autem Concilium vniuersaliter de natura angelica, prout etiam demones comprehendit. Vnde subit immediate post. *Diabolus quidem natura creatus est bonus, sed ipse per se factus est malus. Homo vero diaboli suggestionem peccauit.*

Huic Lateranensis definitioni addi potest, quòd in Concilio generali Nicæno I. actione 2. in professione fidei Sophronij, animæ rationales & angeli ponuntur in eodem ordine intellectualium, & quòd idem est, spiritualium substantiarum. Atqui animæ rationales sunt pure spirituales & incorporeæ, ut vidimus supra definitum fuisse in Lateran. sub Leone X. Ergo pariter Angeli sunt pure spirituales & incorporei. Item in professione fidei Synodi septimæ generalis,

4.
Nicæni

feu Nicenæ II. actione 4. sancti Angeli vocantur *arguuntur*, id est, incorporei, quod falsum esset, si ex corpore partim & spiritu constituerentur. *Veneramus*, inquit, *imagines sanctorum & incorporeorum Angelorum*, vixit qui tanquam homines figurâ humanâ in his apparuerunt.

Tertio, idem confirmant sancti Patres. Dionysius, qui ea quæ scripsit de cœlesti Hierarchia proficitur se accepisse à Patribus, id est, ab Hierotheo, & à D. Paulo, cuius discipulus fuit, aliisque Apostolis, & cuius liber ille admirabilis ac planè cœlestis esse dicitur in Romano Breviario 9. Octobris, plurimumque cum aliis omnibus eius scriptis laudatur à sanctis Patribus, qui primis sæculis floruerunt, & à sexta & septima Synodo Generali, ut videre est apud Lanselium in præfatione ad eius opera, Baron. tom. 2. anno 109. Delrium in vindiciis Areopagiticis, & Gaucher. in tabulis Chronographicis sæculo 1. veritate 1. Dionysius, inquam, cap. 1. de cœlesti Hierarchia cœlestes omnes Hierarchias Angelorum vocat *divinos*, id est, immateriales. Et cap. 2. *de christivis*, id est, omni figura carnes & omnino incorporeos. Et cap. 4. dicit omnem illorum vitam esse intellectivam, & recipere illuminationes immaterialiter & impermixtè. Et lib. de divinis nom. cap. 4. inquit esse incorporeales omnino, atque materia carentes. Et cap. 6. affirmat Deum tribuere super cœlestibus vitiis, id est, Angelis, immortalitatem immaterialem, & divinam similem, & inalterabilem: hominibus verò commixtam. Neque aliter sensit de Dæmonibus, licet cap. illo 4. tribuat illis furorem, concupiscentiam, imaginationem proteruam. Nam per hæc tantum significare vult præquam affectivum intellectus & voluntatis Dæmonum. Ut patet: qui ibidem asserit constare originem mali non esse in corpore: quandoquidem Dæmones non sunt sine malitia, quamvis sine fine corpore.

Basil. quoque homil. 9. quod Deus non sit auctor malorum, prope finem ait, naturam Dæmonum esse incorpoream, secundum Apostolum dicentem, *Non est nobis cogitatio adversus carnem & sanguinem &c.* Et Gregor. Nysseni, in lib. de orati. dominica, orat. 4. dicit naturam Angelorum esse incorpoream, & mente sola comprehendendam. Ibi etiam eam distinguit à nostra, quæ ex parte corporea est. Similia tradunt Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Damascenus, alique Patres, quorum verba referunt Suar. lib. 1. de Angel. cap. 6. Valq. disp. 178. & Molina ad art. 1. q. 50. Nec obstat quod S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 6. ait Angelos esse materiales, si cum Deo comparentur, ut & omne creatum. Tantum enim significare vult Angelorum naturam, quamvis purè spiritales, multum differre à perfectione

gradus spiritualis in quo est natura animæ multo que magis ad materiam accedat, ut illum exponit S. Thom. 9. 50. art. 1. ubi addit, medium comparatum ad unum extremum, videlicet alterum extremum. Sicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum. Et hac ratione Angeli, qui sunt inter Deum & res corporeas, ut medium inter duo extrema, cum Deo comparati dicuntur materiales & corporei: quamvis in eis nihil sit de natura corporea.

Quarto ratione naturali constat Angelos, saltem ex parte, quæ nimirum intellectui sunt, esse spirituales. Si enim certò id de anima colligitur ex modo operandi, reflectendo se supra seipsam in infinitum, & abstrahendo obiecta à conditionibus sensibilibus, & ascendendo ad intelligentias ac Deum ipsum, deque rebus purè spiritualibus discurrendo, inuestigando ipsarum naturas, proprietates, causas effectus &c. quæ tum operationem materię supereminentem & spiritalem arguunt; tum etiam principium, à quo elicitur hæc operatio, spiritale esse ostendunt; quia non potest operatio naturalis altioris esse ordinis, quam sit potentia à qua elicitur connaturaliter, & in qua recipitur. Quæ potentia vel est ipsa anima, vel si ab ipsa distinguitur, manat ab anima tanquam propria ipsius passio, seu proprietas, eidemque inhæret. Non potest autem proprietas immaterialis connaturaliter oriri nisi à principio immateriali. Si, inquam, naturalibus, quæ sunt arguuntur naturalibus, quæ sunt Suar. prosequitur lib. 1. de anima cap. 9. à num. 20. certò colligitur animam rationalem, ut est principium intelligendi, & operandi, modo illo materię supereminente, spiritalem esse; neque minus quoad substantiam eminere materia, quæ in quoad operationem, tantò magis idem constat de Angelis, quòd illos in intelligendo esse hominibus perfectiores patet experientis magicis & enigmatis, de quibus superiori disp. sect. 1. dictum fuit.

Constat secundò evidenter, Angelos esse posse spirituales, seu dari posse intelligentias omnino immateriales & planè incorporeas. Quia evidens est non repugnare dari creatum spiritum completum, æquè ac datur incompletus in anima rationali. Imò hoc secundum difficilius est, dari scilicet spiritum incompletum, qui componitur unum per se cum materia corporea divisible & extensa, & tantopere sibi dissimili, tamque longè distante à sua perfectione; habeatque ordinem essentialem ad illam, & ad compositum substantiale corporeum, quod cum illa constituit. Evidens item est Deum esse infinitis modis participabilem à creaturis. Ac sicut inter eas dantur aliqua purè corporeæ, ut cœli & astræ, elementa, metalla, plantæ, & herba: alie mixtæ, id est, partim corporeæ & partim spirituales, ut homines: ita non repugnare dari purè spiritales & planè incorporeas à

5. Probat ex S. Patribus.

Baron. Del. Gaucher. Dionys.

6. Basil.

Nysseni.

Suar. Valq. Molin. Damasc.

Thom.

7. Probat ratione.

8. Possunt dari intelligentie creature purè spirituales.

quibus magis & melius participetur Dei perfectio, qui purus spiritus est; & quæque magis accedant ad Dei similitudinem in præstantissimis eius actibus intellectus & voluntatis.

9. Ex eo tamen quòd possibile sunt non sequitur esse de facto. Quia Deus liber est, & non creat quicquid potest, sed quicquid vult. Nec vlla est alia ratio naturalis, quæ id certò aut euidenter ostendat. Nam quod Suar. disp. 35. Metaph. sect. 1. post D. Thom. q. 50. art. 1. & lib. 2. contra Gentes c. 46. ex mundi perfectione constantis omnibus entium gradibus id conatur colligere, infirmum est & ad summum probabile. Nec magis vrget argumentum ex cælorum motu peritum. Quasi non possint Angeli æternum sine defatigatione mouere, si corporei sint. Nam si dari potest mobile æternum & infatigabile, quamuis corporeum nempe cælum ipsum: quidni & mouens? Minus est quòd ait Vafq. disp. 178. cap. 4. de velocitate motus Angelici. Cum nullo constet indicio naturali velocius moueri quàm bellas Firmamentum; merè tamen corporeas eas maxime quæ sitæ sunt in maxima linea motus, id est, in æquatore. Infirmum etiam est quòd dicunt alij, non posse alioquin tam multos simul dæmones esse in eodem enegumeno, vt legionem integram Luc. 8. v. 38. id est, sex millia Dæmonum: nam iuxta Vegetium, legio sex millia continet. Enimvero licet corpora nobis, nota, non possint alia penetrare corpora, vel penetrari ab aliis simili quantitate impenetrabili affectis: non est tamen euidens, neque certum, omnia corpora creata esse eiusmodi. Et euidens est posse alia creari naturaliter penetrabilia. Euidens quoque est non omnia corporea esse impenetrabilia. Omnes enim foris corporeæ, substantiales æquè, ac accidentales, penetrabiles sunt, & plures simul in eodem subiecto esse possunt, quàm legio dæmonum integra. Quàm enim multæ simul species in eodem hominis cerebro? Quia tamen constat, vt initio diximus, Angelos quæ intelligentes esse spiritus, & non repugnat esse purè tales, & aliunde nullum apparet vestigium corporis, cui alligati sint tanquam illius formæ, aut cum quo aliter componant, nulla item necessitas corporis propriij, vel materiæ, ad effectus, quos ab illis experimur; imò quæcunque à Magis & enegumeno sunt, multò melius assignantur spiritibus planè incorporeis, quàm compositis ex corpore, cœui licet & penetrabili, maximeque notitia secretorum cordis, quæ ostendit ipsos non pendere à sensibus, ac proinde neque à corpore: ideo ratione ipsa probabilius ac verisimilius est, substantias illas esse merè incorporeas & omnino spirituales.

10. Quòd si interrogas, quid nomine spiritus, aut spiritualis propriè sumpti, vt hæc sumitur, intelligendum sit? Responderi solet spi-

ritum aut spiritale propriè dictum, esse ens & spiritalis qui d signa fiet
indiuisibile, inextensum, & incapax extensionis localis seu molis, siue vt totum, siue vt partem, aut terminum, aut vinculum totius constantis partibus aptis coextendendi localiter. Cuius definitionis particula vltimà rejiciuntur puncta siue indiuisibilia corporea, si quæ sunt, continuantia vel terminantia partes continui. Verùm quia non constat, an sicut vultur, aut saltem dari possunt puncta siue indiuisibilia corporea incompleta, & ordinata ad compositionem alterius: ita dari possint absoluta & completa, quæ alioqui quoad crassitiam entitatis non differant à punctis illis incompletis, ac proinde, corporea sint, & corpora simplicia eatent verè completa: iuxtaquòd D. Thomam, & alios quos Philosophos, animæ brutorum perfectorum sunt indiuisibiles, & tamen materiales ac corporeæ: quàmuis neque sint pars, neque vinculum, aut terminus extensionis localis, magis quàm anima rationalis: idcirco fortè melius incorporeum, seu spiritale propriè dictum definiretur per negationem illius crassæ entitatis quam habent omnia corporea. Ita vt entitas spiritualis sit purior, subtilior, tenuior, quàm quæcunque materialis creata vel creabilis, diuisibilis aut indiuisibilis.

11. Omnino autem aberrant à conceptu spiritus & spiritualis propriè dicti, qui putant idem esse, ac posse penetrare corpora; & penetrationem pati: aut non pendere à materia: aut esse incommutabile & ybique totum. Nam iuxta primam definitionem, formæ materiales substantiales, & accidentariæ, spirituales essent: Quippe quæ cum materiâ ipsam, tum corpora & seipsas inuicem penetrant. Iuxta secundam, materia ipsa esset spiritualis, quia non penderet à materia. Adde non repugnare dari corpus simplex physicè, ac proinde non pendens à materia, neque à forma. Quæle reipsa cælum esse existimant Auerroës & quidam alij. Iuxta tertiam verò, Deus solus eius reipsa spiritualis: quod contra fidem & rationem est. Porro si aut quicquid peccant in conceptu preciso spiritus & spiritualis, ita non minus peccant in conceptu corporis, aut corporei eius oppositi. Quintam vt refert D. Augustin. epist. 28. quædam existimant omnè substantiam vel essentiam veram, aliquid modo in seipsa existentem, esse corpus: quæ ratione anima ipsa rationalis corpus esset, vt Augustinus ibidem ait: atque etiam Deus ipse. Quo sensu idem benignè excusat Tertullianum lib. de hæres. cap. 86. cum ait Deum corporeum ab eo dictum esse, non quòd illi extensionem & molem tribueret: sed vt significaret Deum non esse inane quiddam, vel alterius qualitatem aut partem, sed ens verum in seipso existens, & ybique totum.

SECTIO II.

Oppositiones contra doctrinam præcedentem.

13. **C**ontra id quod diximus Angelos esse pure incorporeos & spirituales, Obijtur primò, quòd in Scriptura Filii Dei, hoc est, Angeli iuxta antiquam versionem, genuerint Gigantes Gen. 6. v. 2. & 4. Item quod Angeli, videantur oculis, tangantur, recipiantur ut hospites, lauentur pedes, & comedant Gen. 8. v. 18. Heb. r. 13. v. 2. & toto libro Tobia: crucientur igne inferni Matth. 25. v. 41. iecore piscis combusto abigantur Tobia. 6. v. 19. & cap. 8. v. 2. vinculis teneantur Iudæ 6. v. 16. detrahantur rudentibus in tartarum 2. Pet. 2. v. 4. Ex quibus omnibus, præcipueque ex incarceratione & detentione per res corporales, liquet Angelos esse corporeos. Neque enim meri spiritus à corporeis sic affici possunt.

Explicatur Scriptura loca quæ videntur affirmare Angelos esse corporeos.

Peter.

Gigantes an geniti à demonibus, vel ab Angelis?

Respondet Gen. 6. v. 2. & 4. in textu Hebræo & in LXX. & in Vulgata esse, *Filios Dei*, non *Angelos*; sicut olim in exemplaribus correctionibus legebatur. Quo nomine licet nonnulli antiquorum intellexerint Angelos, à quibus, tunc iustis, progeniti fuerint Gigantes peccati luxuria, propter quod è caelo deturati sint, ut Philo, Iosephus, Iustinus, Clemens Alexad. Tertul. Lactant. Euseb. & Severus Sulpitius apud Pèrerum lib. 8. in Genes. ad versum secundum capitis textu disp. 1. quod alii ad demones iam antea male & damnatos referre maluerunt, apud eundem ibidem disp. 2. Omnis tamen intelligendi sunt vel filii Seth & Enos, ita dicti à pietate paterna, aut propria; vel filii potentum, Magnatum, & Principum, iuxta Hebræum *Elohim* (quo nomine non tantum Deus, sed & Potentes, & Principes, & Iudices, in Scriptura nominantur Exodi 7. v. 1. Psal. 81. v. 1. & alibi: & summa quæq; phrasi Hebræica appellantur diuina, ut cedri Dei, montes Dei, oratio Dei, Psal. 35. v. 7. Psal. 79. v. 11. & Luc. 6. v. 12.) ex quorum nefaria & libidinosa commixtione cum filiabus hominum, id est, vel à Caino impio descendentibus, vel à plebeis & ignobilibus, progeniti fuerunt Gigantes: siue viribus solis naturalibus robustiorum id genus hominum, & à gigantem projectionum, adeò bona in peius degenerant: siue etiam demone cooperante ad eorum conceptum & ortum, qui ipsius cultus, & vitiorum dominam strenue promoturi erant. Vnde causa diluuii, ob malos mores ex illa mala societate inductos Gen. 6. à versu 1. ad 6. Ita de posteris Seth exponunt Chryostomus, Augustinus, Theodoretus, Cyrillus Alex. Cassian. Rupert. & S. Thom. q. 51. art. 6. ad 6. De potentibus verò & Magnatibus; Chaldaus Paraph. Symmachus. & Sanctes Pagninus, qui Hebræum *Bene Elohim*, vertunt, Filii Potentum, Magnatum, Principum.

D. Thom.

14. August.

Adde quod D. Augustinus lib. 25. de ciuit. c. 23. nomine angelorum intelligi posse etiã

homines diuino cultui deputatos, Malach. 2. sic dictos. Itè non esse impossibile, demones in cubos in asuptis corporibus, humano scilicet aliunde aduecto, generare. Errant autem Veteres illi, si senserunt, Angelos genuisse ex proprio corpore. Nam primò Christus huic sententiæ refragatur Luc. 20. aienis in laudem virginitatis, *Filii huius seculi nubunt & traduntur ad nuptias. Illi verò qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque duxerunt uxores; neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt.* Deinde Luc. 24. v. 39. *Spiritus carnem & ossa non habet.* Quod verum est de bonis equè, ac malis Angelis, qui pariter dicuntur spiritus. Et tamè talia corpora opus fore ad generationem ex proprio corpore. Imò debere etiam habere corpora mortalia, & corruptibilia, si gignerent, ut homines, ex femine deciso; egerentq; alimento, & aliis semita formando necessariis. Quod est absurdum, & contra sextam Synodum Generalem actione 11. in epist. Sophronii, quæ approbatur act. 13. vbi dicitur intellectualia & inuisibilia natura, nusquam mori, neque corrumpi. Item si Gigantes illi non fuissent concepti propagatione humana, sed angelica, non contraxissent peccatum originale. Atque contraxerunt. Erant enim homines & viri, ut dicitur Genes. 6. v. 4. & peccatum originale omnes homines inscit Rom. 5. v. 18. Denique falsum est diuini fuisse inductum propter peccatum Angelorum Nam Genes. 6. v. 5. & sequentibus, non alia eius causa dicitur fuisse, quam peccata hominum. *Videns autem Deus quòd multa malitia à hominum esset in terra &c.* Falsum pariter & contra fidem est, Angelos non peccasse, vique ad Gigantum illorum procreationem. Nam peccatum ante lapsum primorum parentum, quos per inuidiam ad peccandum induxerunt, ut habetur Sap. 2. v. 24. & 25. iunctis Apostoli verbis Rom. 5. v. 12.

15. Illa verò secundo loco commemorata, *videri, tangi &c.* exercentur circa Angelos in assumptis corporibus apparentes, quorum tamen natura inuisibilis est, & longè diuersa ab eiusmodi apparentis: iuxta illud Tob. 12. v. 19. *Videbar vobis manducare & bibere: sed ego ibo inuisibili vtor. & potu qui à hominibus videri non potest, id est, visione beatifica, quæ in Scripturis explicari solet metaphorà conuiuii. Vt autè ignis inferni cruciatur physice aut moraliter, non est opus esse corporeos; nam & animæ separata, licet pure spirituales, eo torquetur. Iecur verò piscis combustum Tob. 6. fugauit demone moraliter, & religiofa fumigatio, precebus & vni castitatis adiuncta, & Christum piscem sacræ, in passione amoris igne combustum, præsignans, ut exponunt Augustin. serm. 4. de Sanctis Petro & Paulo, & Prosper lib. de promissionibus parte 2. cap. 39. Sic & in exorcismis fumigationes adhibitæ demones torquent moraliter, aut impediunt: vel quia sacræ, vel quia in eorum contemptum factæ, vel quia humoribus temperandis aptæ ut ijs minus comode vi possint. Rudentes denique, & vincula,*

August. Prosper.

intelliguntur tropicè, prout exigit natura spiritus, pro exercitacione spiritali, & alligacione ad certum locum: quæ detentio per res corporeas, saltem moraliter, exerceri potest.

Obiicitur secundò, in VII. Synodo Generali, actione 5. tom. 3. post lectam epistolam Ioannis Episcopi Thessalonicensis, asseretis Angelos esse pingendos, non Deum, quia Angeli corpore constant, licet subtiliori, vt & animæ rationalis: Imò quia visi sunt in proprio corpore responderi à tota Synodo approbante: *Etiã Domine.*

Respondent Vasques, & alij plerique Synodum congregatam ad definiendum cultum imaginum, approbasse conciliariter sententiam Ioannis quoad id de quo definiendo agebatur, nempe colendos esse Angelos, etiam imaginibus: non autem quoad rationem illam, quia corporei, de qua tunc non agebatur. Maxime cum iam antea idem Concilium actione 4. pronuntiasset Angelos esse incorporeos, & tamen esse pingendos. Sed alij melius affirmant his verbis, *Etiã Domine*, nullam omnino contineri definitionem, Quippe quæ à Concilio prolata sunt, non immediate post lectam Ioannis epistolam longiorem: sed postquam Tharasilus Patriarcha eam in summam redegit, dicens, ex sententia Ioannis pingendos esse Angelos, quia sunt circumscripti. Cui subdens Conslum, *Etiã Domine*, asserit tantum sententiam Ioannis fideliter à Tharasio relacam esse. Nam actione 5. post lectam longam illam epistolam Ioannis, Tharasilus qui Concilio præerat, tacito sapienter eius errore de Angelorum corporeitate, sententiam ipsius sic retulit: *Ostendit Pater, quod et Angelos pingi oporteat, quando circumscribi possunt, efficiunt homines apparuerunt.* Subiecitque altitum Synodus: *Etiã Domine* Itaque acclamatio illa Concilij cadit tantum in id, quod proxime dixerat Tharasilus, qui in sententia Ioannis referenda consultò prætermisit, quod ipse in sua epistola scripserat, *Quia corporei sunt, & quia in proprio corpore apparuerunt.* Tantumque retulit alias duas eius rationes, *Quia sunt circumscripti, id est, definiti certo loco: & humana forma apparuerunt.* Quæ ratio est optima. Si enim ipsimet angeli sancti, in forma humana apparentes, fabricantur sibi illa tenuia corpora, per quæ, velut imagines & simulachra, nobis se repræsentant, & in quibus cultum religiosum & plus quam civilem admittunt: Quidni etiam nobis liceat iisdem formare imagines, & in illis cultum eis religiosum exhibere?

Eòdem ferè redit, quod alij respondent, differentiam esse inter consultationem, & definitionem Concilij: & verba illa, *Etiã Domine*, dicta fuisse in consultando & referendo sententias Patrum actione 5. vt &

illud quod dictum fuerat actione 4. ex sententia Athanasii, Angelos etiam incorporeos symbolicè tamen depingi posse. In definitione verò, quæ facta est postea actione 7. nihil aliud contineri, quam quod Angelorum imagines pingi & coli possunt. Et hoc solum de fide esse, vt potest definitum vt tale. Non autem ea quæ ante definitionem dicuntur in consultatione præuia, ad quæ credenda non obligant Concilia. Alioquin obligarent sæpè ad contradictoria, cum sententia consultantium sint non raro contradictoria. Vt v.g. in eodem Concilio, Angelos esse incorporeos, ex sententia Athanasii actione 4. & esse corporeos, ex sententia Ioannis, actione 5.

Obiicitur tertio, Patres antiquos communiter ita sensisse, & tenue corpus & ætherium Angelis tribuisse, Irenæum, Origenem, Cæsarium, Iustinum, Tertullianum, Clementem Alexandr. Eusebium Cæsariens. Hilarium, Ambrosium, Methodium, Heliam Cretensem, Lactantium: Augustinum etiam, & Bernardum dubitasse: Et de recentioribus Eugubinum, Niphum, Franc. Georgium, & Caietanum, locis à Suarez citatis lib. 1. c. 6. & à Vafq. disp. 178. cap. 2.

Respondeo multos quidem antiquorum Patrum id docuisse, non ex Scriptura, aut Maiorum traditione ad id inductos: nihil enim tale proferunt aut prætendunt; sed ex Philosophia Platonica tunc communius recepta: nunquam tamen eum fuisse sensum communem Patrum, & clamantibus multis aliis, vt supra vidimus num. 5. & 6. Dionysio, Basilio, Gregorio Nysseno, Chryostomo, Cyrillo, Theodoro, & alijs. Augustinus autem variis quidem locis dubitat; imò interdum tribuit Angelis subtiliora corpora: & in Enchir. cap. 58. ait se ignorare, an ad Principatus & Potestates, de quibus Apostolus Coloss. 1. perineant sol, & luna, & cuncta sydera, quæuis aliis hæc sensu & intelligentia carere videntur. Contrarium tamen in Concilio Generali VI. definitum fuisse refert Niceph. lib. 17. hist. cap. 27. & 28. sic statuente contra Origenem: *si quis dicit solem, lunam, stellas, & aquas quæ supra caelos sunt, animas quasdam, & materiales virtutes, anathema sit.* Et verò Scriptura, quæ solem & lunam creata dicit, vt sint in signa & tempora, luceantque per diem & noctem Gen. 1. v. 14. non his tantum, aut præcipue ministeriis addicaret, si intellectus & cultus diuini capacia esset. Qui etiam coli possent religiose cultu dulta essent enim de numero sanctorum Angelorum: & tamen omnis eorum cultus prohibitus est. Denique S. August. seipsum correxisse videtur lib. 1. Retract. cap. 11. & 13. & lib. 2. cap. 14. vbi retractat quod sibi scripserat, Angelos esse animas: atque dicendos non animas, sed spiritus. Liber verò de Ecclesiast. Dogmat. non est Augustini, sed Gennadij posterioris, vt constat ex epistola Adriani

36. VII. Synod.

Explicatur locus VII. Synodi.

181

Suar. Vafq.

Quid sensu scripturæ de incorporeitate Angelorum?

August.

Nicephori

August.

Adrian.

Papae ad Carolum magnum, & ex Algero & Platina: ut videre est apud Bellarmin. lib. de script. ecclesiast. in obseruat. ad rom. 3. D. Augustini. Cumque ibi dicitur tanquam dogma ecclesiasticum, nihil esse incorporatum, nisi Deum, non Angelos, non homines, non animas humanas, sed solum Deum, quia ubique est, & est inuisibilis omnibus creaturis: alio sensu usurpatur *corporeum*, prout scilicet denotat restrictionem ad certum locum, & negationem immensitatis, corporibus maxime convenientem.

Obiicit quarto Caietanus, omnes gradus uiuentium corporeorum esse concedendos, utpote necessarios ad perfectionem Vniuersi. Ergo sicut dantur vegetantia sine sensu, & sentientia sine motu progressiuo: sic dari debent intelligentia sine sensu cum solo motu progressiuo, quales erunt mali daemones praediti corporibus aërijs. Ergo tales sunt concedendi.

Respondeo coniecturam illam leuissimam esse, indignamque ut propter eam Caietan. & Eugubin. affirmarent daemones esse corporeos, cum res iam extra controuersiam posita videretur. Neque enim constat, neque necesse est, dari omnes gradus infimos rerum possibiles. Quare licet non implicaret dari formam intellectualem informantem corpus non sentiens, quod e minimè vteretur ad hauriendas species, sed ad motum & alios quosdam effectus: non tamen sequitur tale esse de facto: quia non omnes uiuentium gradus specifice aut generici, qui dari possunt, debent esse reipsa: & perfectio Vniuersi non est quanta esse potuit, sed quantum Deus voluit.

Addo ex D. Thom. q. 50. art. 1. in corporeum intelligendi principium non posse esse formam corporis. Ac per se quidem parum aut nihil probabile est, parum principium intelligendi posse vniuersi corpori, quo tamen ad intelligendum nullatenus iuuetur, ita ut saltem mediate seruiant illi organa, quatenus hauriat per sensus specie ad intelligendum necessarias, aut ab illis deteguntur ad intelligendum. Cum enim vniuerso compositi vniuersi per se, appareat potissimum ex communitate operationis ad quam pars vtriusque aliquo modo iuuet: sicut non vniuersum in consortio operationis: ita parum probabile videtur venire in consortio vniuersi naturae per se. Deinde spiritus qui concipitur ita perfectus, ut nullo modo egeat corpore ad exercitium suarum operationum intellectiuarum, debet consequenter concipi habere vim totalem, & adaequatam se & alia mouendi. Alioquin deficeret in ministro, qui excellit in summo. Et natura non sibi satis constaret in opere suo. Non enim disiungi possunt haec perfectiones: cognitio, appetitio, & aliqua ipsius ad exequendum proportio naturae potentia. Quod si ita est, non est vlla in tali spiritu ad corpus tanquam ad comparationem habitudo, siquidem non debet, aut etiam potest, per illud perfici aut compleri.

SECTIO III.

Cuiusmodi natura sint Angeli: finita an infinita: simplicis an compositae

Respondeo Angelos esse naturam finitam, & reagentem simplicis & indiuisibilis. Prima responsi pars, quod scilicet Angeli sint naturam finitam probatur ex Psal. 8. v. 4. ubi dicitur homo paulo, minor angelis esse factus: deque angelis & homine naturaliter spectatis sermo est, adeoque de ipso Christo secundum naturam considerari, ut docet Apostolus Hebr. 1. v. 7. 8. & 9. Atqui non paulo, sed infinitè minor Angelis foret, si essent Angeli naturam infinitam, vel simpliciter, vel in suo genere. Talis quoque infinitatis nullum iudicium naturale apparet, neque in scientia, & que in voluntate neque in potentia loco motiua & executiua Angelorum. Duratio verò nihil est aliud, quam permanentia in esse, quae quoad id quod actus est, finita est. Praeterea autem, vel futura, temporè infinito respondere potest. Sed non arguit perfectionem infinitam rei durantis infinitè beneficio alterius. Anima enim nostra durabit in aeternum, ut Angeli, cuius tamen finitudo & limitatio virtutis ac perfectionis nota est nobis experientia. Praeterea ac reuocantur attributa Angelorum, & quae ad ea reuocantur, aliam naturam nota non sunt. Quod si omnia attributa ipsis connaturalia finita sunt: signum est naturam quoque ipsam finitam esse. Nec obest quod angeli praecellant infinitis creaturis materialibus, quae perfectiores & perfectiores in infinitum creati possunt. Nam homines praecellunt quoque infinitis speciebus bestiarum animalium. Sed ille excessus geometricum tantum est, non arithmeticus, id est, non per continentiam formalem aut eminentialem illarum omnium perfectionum, ut numerus quaternarius quaternarium, & ternarium, & binarium continet: sed per excellentiam simplicem vniuersi gradus perfectionis, ad quem nulla aliarum inferiorum attingit: ad eum modum quo circulus dicitur à Geometris superare perfectione figuras omnes rectilineas in infinitum multiplicabile.

Secunda pars, quod scilicet angeli sint naturae simplicis, & indiuisibilis, probatur primo ex Dionysio de coelesti Hierarch. cap. 1. ubi affirmat Angelos esse simplices, in diuino supremo gradu simplicitatis. Quod de Angelis quoad naturam saltem, verum esse debet. Loquimur autem hinc de natura angelica, non de supposito, quod praeter naturam, habet usum aut modum substantiae, quem multi putant distingui à parte rei à natura, & cum illa componere suppositum. Non loquimur etiam de composito accidentali ex natura & accidentibus spiritualibus, intellectuone, volitione & similibus.

Non constat dari omnes gradus infimos possibiles.

20.

D. Thom. Parum intelligendi principium non potest esse forma corporis.

quae genus compositionis non negamus in Angelis. Probatu secundo percurrendo singillatim compositiones substantiales, quae in rebus aliis reperiuntur, & ostendendo nullam earum conuenire Angelis.

23. Non sunt compositi ex materia & forma.

Atque ut incipiamus a compositione ex materia & forma, vel ex corpore & spiritu: patet ex dictis sect. I. Angelos non ita esse compositos, quos Dionys. alique Patres ibi citati vocant *abstr.*, & plane incorporeos. Et quamuis non repugnet dari ens spirituale compositum ex materia & forma spiritalibus: non repugnet, inquam, dari alteram partem substantialem, spiritalem, incompletam, per modum materiae spiritalis, complebilis & perfectibilis, aptaque componere cum altera, ut forma: sicut reipsa datur in homine vna eius pars substantialis & spiritalis, apta componere cum corpore, a quo magis distat, cuique videtur esse minus proportionata ad vnionem, quam pars vna spiritalis cum alia: & a qua inuari posset ad melius intelligendum. *Abstr.* sicut anima rationalis iuuatur ab habitu intellectus & voluntatis, & a speciebus, ut intelligat & velit. Ac si ratio partis & incompleti in gradu spiritus non repugnat forma: quae nobilior est: cur repugnet alteri parti se habenti per modum materiae? Et cur dari nequeat materia quam spiritalis, seu pars substantialis incompleta per modum materiae, sicut datur forma spiritalis, incompleta intra gradum spiritus? Licet, inquam, non repugnet absolute compositione materia spiritali & forma se mutuo iuuantibus ad operationes intelligendi & volendi: huius tamen compositionis in Angelis nullum vestigium est, nullae necessitas, sicut ad vitales operationes intelligendi & volendi, sicut ad motum localem, & actus potentiae executiuum. Idem enim sine vilo diuerso potest esse agens & patiens, & pati ac recipere aliquid a seipso, ut de rebus ipsis materialibus notum est. Quare nullum est fundamentum quo Ricard. & Bonauent. genus illud materiae spiritalis inuenerunt in naturam Angelicam, eod scilicet quod nihil seipsum mouere possit.

24. Angeli non sunt compositi ex partibus extensionis.

Compositio vero ex partibus extensionis non est potenda in Angelis. Si enim partes extensionis sunt propriae corporum & corporeorum, ut fert communis & vera sententia Philosophorum, & Theologorum, hoc ipso quod Angeli sunt plane incorporei, sunt quoque inextensi. Adde Concilia & Patres supra citatos non minus dare simplicitatis Angelis, quam animae rationali, quae sine dubio caret partibus extensionis, secundum quas loco coextendatur. Alioquin in mutilatione alicuius membri hominis, aut periret pars animae, quae erat in parte corporis abscissa: aut intraret in alias corporis partes: aut maneret extra, ita ut pars animae esset in corpore superflua & viua, alia extra corpus. Non primum alioquin anima non foret immortalis & incorruptibilis. Non secundum: quia pars animae relicta in corpe

Anima rationalis caret eiusmodi partibus.

re ipsum totum informat, & huius regressio- nis nullum indicium est. Non denique tertium: sic enim altera pars anime foret in via, altera extra viam, & statum merendi aut demerendi, quod est absurdum, & alienum a fide Catholica. Adde quod anima tota simul infunditur in instanti conceptionis. Si autem partes haberet: deberent aliqua subinde in augmentatione succedere. Neque enim hic locum habere potest condensatio anime vel rarefactio: quia nisi mutetur vnica anima ad partes corporis, non potest ipsa condensari aut rareferi, quia simul condensetur, aut rarefiat partes corporis quibus vnita est. A parvuli non crescunt per rarefactionem dumtaxat: sed per accessionem nouae entitatis substantialis praexistenti additae. Vltimus si Angeli natura componeretur ex partibus extensionis, vel illae essent homogeneae, vel heterogeneae. Si primum: ergo sicut quaelibet pars caloris habet totam essentiam caloris metaphysice, & est calor: ita quaelibet pars Angeli esset Angelus: sicque vnus Angelus esset multi aut infiniti Angeli. Si secundum: id erit quia v.g. vna pars Angeli est intellectiua, alia volitiua, alia loco motiua, aut aliter operatiua a dextra ex directione intellectus & applicatione voluntatis. Neque enim alia attributa substantialia cognoscimus in Angelis. At vnica substantia potest esse haec tria in Angelis, ut est in anima rationali. Imo penitus necessarium est illud ipsum quod est vitale principium volendi, esse principium intelligendi, ut ostendemus deinceps. sequenti sect. I. Ergo &c.

25. Angeli non sunt intentionis formaliter, sed virtualiter.

Aliud genus compositionis ex partibus intentionis formalis & realis non est asserendum, nisi vbi variarum partium accessione aut decessione colligitur: ut in calore, frigore, & similibus. At in substantia Angeli nulla est. Quare licet in ea sit intentio virtualis per continentiam eminentiam, aut virtutalem plurimum, qualis etiam in Deo est, qui infinite supereminet gradibus omnibus naturarum creaturarum: non ita formalis, cuius vestigium nullum. Adde quod partes formalis intentionis sunt omnes eiusdem rationis, & quaelibet totam speciem continet. Ergo ut quilibet gradus caloris est calor: sic quaelibet gradus Angeli esset angelus: & vnus angelus esset angelus multi.

26. Non est realis compositio ex essentia & existentia. Imo nec rationalis.

Ceterae compositiones quae substantiis tribui solent, ex essentia & existentia, genere & differentia, natura specifica & indiuiduatione, non sunt reales, sed logicae, seu metaphysicae, de actu distinctionis realis inter extrema. Vel enim sermo est de essentia ut pure possibili: & illa non componit realiter, cum realiter non sit. Vel de actuali: & haec, eo ipso quod actu est, existens est. Quare non praescindit realiter ab existentia ut a forma distincta: sed existit seipsa formaliter, eo solo quod actu est in rerum natura. Imo nec potest recte concipi compositio rationis inter essentiam actualem & existentiam: quia hoc ipso quod concipitur essentia actualis ut



alterum extremum compositionis, præsuppositum existentia aduenienti, existens est. Prius enim est actu, quam existentia illa ei veluti adiungatur atque adueniat: præsertim si ab illa veluti fluere concipiatur. Hoc autem ipso quod actu est, sufficienter existit. Atque hæc eius est existentia propria & formalis: non autem illa aliena, concepta veluti superveniens. Neque enim essentia actualis existit, quia illa supervenit: sed quia ipsamet per se formaliter, id est, secundum seipsam, actus est in rerum natura extra nihil, & extraneam possibilitatem essendi.

27. Copositio ex genere & diff. essentia, vel ex specie & individuo non est realis.

Genus quoque & differentia rationum tantum distinguuntur tum inter se, tum ab individuo, quæ contrahuntur ad hoc aut illud singulare. Eadem enim res, concepta prout convenit aliquatenus cum pluribus, naturam tamen dissimilibus aliunde; genus est. Differentia, prout ab illis differt. Individuum, prout est hoc aut illud rei determinatæ. Et hoc ipsum quo Michael Angelus v. g. est ens aut substantia, à parte rei spiritale est (neque enim corporeum) & singulare ac determinatum, singulari & determinata actione productum, distinctum à quolibet alio, & immultiplicabile in plura, quæ sint illud ipsum. In vice versa, illud ipsum quo est hoc individuum, à parte rei substantiale & spiritale est. Alioquin non constitueret ens vndeque substantiale & spiritale, cuiusmodi est Angelus. Quare huiusmodi gradus, aut rationes metaphysice non præscindunt à parte rei, sed in idem coincidunt, id est, idem omnino sunt in vno eodemque individuo: differuntque tantum ratione seu conceptu, id est, diversis conceptibus expressè concipiuntur, ut posse concipi manifestum est.

28. Probabilis est compositio ex natura & substantia non esse realem.

Adde probabilis esse compositionem quidem ex natura & substantia esse realem in Angelis, ita præter compositionem accidentalem ex natura & variis perfectionibus accidentalibus realiter distinctis, ut intellectibus, volitionibus, speciebus, habitibus, nulla alia realis admittenda sit. Primum, quia Dionys. cap. 1. de cælesti Hierarch. pag. 4. edit. Lanselii, affirmat Angelos esse omnino simplices, & in supremo gradu simplicitaris. Atque nomen Angeli est nomen suppositi, non naturæ solius: & suppositum Angelicum non esset omnino simplex, si constaret ex natura & substantia distincta, vel reali distinctione maiori, ut volunt Albertus & Hurradus: vel minori seu modali, ut Suarez, Vasquez, & alij plerique malunt. Secundò, quia probabilis est in aliis suppositis Angelo inferioribus substantiam non distingui à parte rei à natura: ut generaliter docent Henricus quodlib. 4. quæst. 4. Ricard. in 3. dist. 6. art. 1. quæst. 1. Scotus in 3. dist. 1. Bassol. Mayron. Licher. & alij Scotistæ eadem dist. Occam quodlib. 4. quæst. 11. Gabriel in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 3. dub. 2. & omnes alij Nominales, Durand. in 1. dist.

34. qu. 1. num. 15. Molin. 1. part. quæst. 26. art. 2. disp. 2. Typhanus in lib. de hypostasi & persona. c. 21. Eandemque sententiam quoad omnes substantias immateriales tenent Caietan. 3. p. qu. 2. art. 2. dub. 1. in fine, & D. Thomas 2. p. quæstione 3. art. 3. in fine corp. & fauet Aristoteles lib. 7. Metaphys. textu 21. dicens, *Idem est quod quid est, cum eo cuius est.* Quod S. Thomas exponit de identitate inter naturam, & substantiam, fauet etiam communiter Patres Græci, qui, ut adductis eorum testimoniis fuisse, & eruditè ostendit Petavius tom. 2. Dogmatum Theologorum, affirmant differentiam inter naturam, & hypostasim consistere solum in modo existendi, *natura τῶν πρῶτων τῶν ὑποστάσεων & non differre τὴν πρῶτην ἀπὸ τῆς δευτέρας*, id est, non reipsa, sed ratione solum; quodque natura, siue *ἔστιν ἡ τῆς ἑνῆς*, hoc est, id quod respondet interroganti, quid sit res? At verò *ὑποστάσις τὸ εἶναι ἑνῆς*; id est, substantia esse rei significat. Ratio verò eiusdem rei est, quia illud debet subsistere per se, quod est aptum per se subsistere: alioquin aliud est aptum subsistere: & aliud subsistit: & non est idem quod potest subsistere, & quod subsistit; quod est aperte impossibile. Atqui natura substantialis est apta per se subsistere: ergo per se subsistit. Ergo non subsistit per formam, aut modum ex natura rei distinctum. Nam subsistere per aliquid à se distinctum, non est subsistere per se. Et contradictio est in terminis, dicere quod res subsistat per se, & tamen subsistat per formam, aut modum à se distinctum. Ut si quis diceret rem existere per se, & tamen existere formaliter per aliquid à se distinctum, id est, habere formam, seu rationem formalem existentia per aliquid à se distinctum.

Obiici solet primò, quòd in mysterio incarnationis natura humana assumpta fuerit à Verbo sine propria substantia, cuius loco terminatur hypostasi Verbi divini. Ergo substantia humanitatis est aliquid re distinctum ab ipsa, quippe quæ potuit ab illo separari, & sine illo assumi. Similiter autem assumi potuit natura Angelica, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 2. v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Quæ commentatio beneficentia erga homines præ Angelis, vana esset, nisi natura Angelica æque potuisset assumi.

Respondeo verum quidem esse, potuisse assumi hypostaticè naturam Angelicam, ut cum D. Thom. 3. p. quæst. 4. art. 1. ad 3. docent cæteri Theologi communiter: & non inde rectè colligi distinctionem realem maiorem, aut minorem seu modalem (ut vocant) inter naturam assumptibilem, & substantiam cum sufficiat virtualis, qualis est inter virtutem agendi, & exercitium quo carere potest: item inter vnica & vnionem, mobile & motum, & similia, quæ sine accessu vel deperditione alicuius realis distincti possunt naturaliter a deesse & abesse: id est, potest res esse, & non agere, non vniri, non

Respondeo autem illam sententiam simpliciter ex mysterio incarnationis.

moreri localiter, non pati seu recipere aliquid &c. Etenim agentia agunt seipsum immediate, siquidem actio ab illis distinguitur, ut multi volunt; debet ab illis immediate exire, & non alia actione intermedia, ne ad eam in infinitum. Similiter recipiunt, seipsum immediate aliquid recipiunt: siquidem passio distinguitur ab illis, & a forma recepta, ut multi volunt; debet saltem ipsa passio immediate recipi, ne sit progressus infinitus in recipiendo quatenus passionem mediantem alia. Sic denique unita seipsum quoque ununtur: siquidem unio aliqua media interponitur, debent saltem immediate uniri unio: atque ita impossibile est unionem omnium ab ipsis distingui. Alioquin aut non unirentur, aut ante omnem unionem suspenderetur unio. Quemadmodum ergo nec unita ununtur seipsum per usum simplicem suae unitivilitatis, possunt tamen carere tali exercitio virtualiter distincto, & agentia vel patientia possunt carere exercitio virtutis activa aut passiva: sic natura substantialis apta & sufficiens per se ad subsistendum, independentem ab altero ut terminante ipsius existentiam: potest carere usu & actualitate talis sufficientiae, licet realiter indistincta: & fieri dependens a divino supposito.

30.
Solvitur alia in qua-
ritia ex mys-
terio Tri-
nitatis.

Obijciuntur secundo, naturam divinam non esse sufficientem seipsa formaliter ad subsistendum, sed egere tribus personis realiter distinctis inter se, & virtualiter distinctis ab ipsa. Ergo multo magis natura creata non est seipsa formaliter sufficiens ad subsistendum, sed constituitur formaliter subsistens per aliquid positivum, quod cum non possit distingui tantum virtualiter, & inadaequate a natura, ut divinae hypostases, quia in creatis non datur talis distinctio: debet realiter distingui. Confirmatur, quia quae ununtur in superioribus, dividuntur in inferioribus, propter maiorem ipsorum limitationem & imperfectionem.

Ad primum Respondeo naturam divinam esse seipsa formaliter sufficientem ad subsistendum: & subsistere formaliter per modum essendi ab ipsa realiter indistinctum, qui modus est triplex realiter, non propter essentiae divinae limitationem, & imperfectionem, sed propter summam & inimitabilem perfectionem & communicabilitatem, propter quam est eadem numero in tribus personis, inadaequate tantum a natura distinctis, realiter vero ab invicem. Et quamvis natura divina, praecise sumpta ab illo triplici modo, non sit intrinsece formaliter subsistens (in quo est similis naturis creatis, quae non subsistunt per se formaliter, praecise sumpta sine modo & actualitate essendi per se, terminoque illo & complemento naturali suae existentiae, quo etiam possunt privari, ut in mysterio Incarnationis factum est) tamen sicut natura divina non propterea subsistit per aliquid a se distinctum realiter, sed per illum triplicem modum essendi relativum, & actuum vel pas-

suu ad intra, sine ullo in re distincto superaddito: sic neque modus subsistendi, siue actualitas existendi per se, natura substantialis create, distinguitur ab ipsa realiter. Et verum quidem est quamlibet personam subsistere unum divinum distingui inadaequate a natura: non tamen idem, quia non includuntur formaliter in essentia praecise sumpta: sed quia nulla sigillatim est adaequata toti essentiae, quae propter suam infinitudinem perfectissimam, & summam illimitationem, est communicabilis identice tribus distinctis inter se realiter: quod in creaturis est inimitabile.

Ad confirmationem Respondeo, si ununtur similia quae ununtur in superioribus, dividuntur in inferioribus, propter maiorem ipsorum limitationem & imperfectionem, quae de causa maior debet esse distinctio in creatis inter naturam & hypostasim, quam in divinis: sequitur in supremis Angelis debere ut minimum esse tres hypostases realiter distinctas inter se & a natura. In Angelis vero inferioribus, & in hominibus, & brutis, aliisque corporibus, multo plures, non minus distinctas realiter a natura, quam inter se. Tum quia debent magis distingui in creatis, quam in Deo: tum etiam quia in creatis non datur talis identitas realis extremorum distinctorum realiter inter se, & tamen identificantur in uno tertio. Quare plures illae hypostases create, distinctae realiter inter se, debent aequè distingui a natura. Probatur sequela: quia non erit maior divisio in inferioribus, quam in superioribus, id est, in creatis quam in divinis, inter naturam & hypostasim, & in modo subsistendi: nisi natura distinguatur a parte rei ab hypostasi, & nisi subsistat triplici saltem modo hypostatico realiter distincto. Absurditas vero illius sequela est per se manifesta.

SECTIO IV.

An Angeli sint naturaliter incorruptibiles?

Nota primò, incorruptibile illud dici, quod non modo non corrumpitur, non corrumpetur: sed ne quidem corrumpi potest. Itaque querere, an Angeli sint naturaliter incorruptibiles, est querere, utrum Angeli sint talis naturae, ut corrumpi non possint?

32.
Corruptio dupliciter sumitur.

Nota secundo, corruptionem sumi dupliciter. Primò, strictè, pro destructione, aut dissolutione compositi substantialis materiae & formae constantis. Sicut generatio est opposita est effectio compositi substantialis ex materia & forma. Secundo, latius, pro quacunque destititione rei, quae ab esse transit ad non esse. Quo sensu corruptio idem est generatio, ac destitio seu defectio: & incorruptibilitas est idem, atque indefectibilitas.

Nota tertio, tripliciter aliquid posse dici naturaliter indefectibile. Primò, absolute: quia est talis natura, ut per nullam potentiam destrui possit. Secundo, respectu solum

33.
Incorruptibile sumitur.

potentia Dei ordinata, agentis scilicet secundum exigentiam causarum naturalium. Quod nimirum talis est natura, ut destrui non possit a Deo, vrente solum potentia sua ordinata, & agente tantum secundum exigentiam causarum naturalium. Et hoc adhuc dupliciter intelligi potest. Vel primò, quia in toto ordine causarum naturalium nulla est vis per quam destrui possit; adeoque nulla est causa naturalis, quæ res illa destruat. Quare Deus agendo tantum secundum exigentiam causarum naturalium non potest illam destruere. Vel secundò, quia res illa naturaliter & intrinsecè exigit nunquam deficere, sed esse semel acceptum retinere in perpetuum.

Angeli sunt, strictè loquendo, incorruptibiles absolute.

His prænotatis, Dico primò Angelos esse naturaliter incorruptibiles respectu cuiuscunque potentia, siue ordinata, siue absolute, sumendo strictè corruptionem pro dissolutione compositi substantialis ex materia & forma constantis. Patet: quia cum careant compositioe ex materia & forma, ut supra ostendimus: non possunt dissolui in partes, quibus non constant. Quare hoc sensu sunt naturaliter & absolute incorruptibiles respectu potentia cuiuscunque.

Angeli nunquam sunt defecturi.

Dico secundò, sumendo latius incorruptibile, prout idem est quod indefectibile substantialiter, certum esse Angelos nunquam re ipsa defecturos. Nam boni æterni durabunt in gloria, mali in pœna, ut dicitur Math. 25. vers. 41. & 46. Luc. 20. vers. 36. & in epist. Iudæ Apostoli vers. 6. ubi dicitur Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, esse vinculis æternis sub caligine reseruatos. Angeli autem nulli alij sunt præter bonos, & malos. Confirmatur ex epist. Sophronij recitata in VI. Synodo generali act. 11. & approbata act. 13. ubi sic habetur: *Deus suis operibus præsidens, principumque omnibus temporale constituens, sensibilia qui semini temporali supposuit: Intellectualia vero & insensibilia hæc meliori dignitate dignatus est. Et nullatenus qui semini moriturus, neque corrumpuntur, iuxta quod sensibilia destruant, atque pererrant: sed gratiam largitus est a corruptione ea & a morte coercionem. Sic hominum animi permanent incorrupte: sic Angeli immortales persuerant.* Epistola dicitur scribitur, quod ait Dionys. cap. 4. de diu. nom. initio, Angelos vitam habere sempiternam, & quæ imminui non potest, ab omni interitu, morte, materia, & generatione solutam ac liberam. Idem denique præbent a fortiori, quæ ex Cyrillo Alex. Damasc. aliisque Patribus, & ex Concilio Lateran. sub Leone X. proferemus paulò post. Verum quòd Angeli non sint re ipsa destruedi, non sufficit, ut dicatur naturaliter indefectibiles. Sicut ex oppositò, licet a Deo absolute destrui possint, quippe a quo liberè conseruantur: id tamen non sufficit, ut censentur naturaliter defectibiles, cum Deus possit supra naturam &

VI. Synod.

Dionys.

contra operari, eaque conseruare, quæ naturaliter sunt defectibilia, & destrui quæ naturaliter sunt indefectibilia, si quæ talia sunt.

Dico tertio, Angelos esse naturaliter indefectibiles respectu potentia ordinata, priori saltem modo ex duobus propositis nu. 33. Probatur, quia nulla est de causis secundis, quæ sit tanta virtutis naturalis ut Angelos interimat, aut eorum interitum naturaliter exigat. Deus autem non operatur naturaliter, ut causa prima, nisi iuxta exigentiam causarum secundarum. Quare si nulla è causis secundis id exigit, Deus non potest iuxta cursum naturalem rerum operando, Angelos interimere. Quòd autem nulla è causis secundis id possit aut exigat, probatur, quia non possunt Angeli definire defectu causa materialis, aut formalis, aut dispositionum in materia requisitarum: cum sint substantie simplices, a subiecto independentes, & per creationem propria dictam productæ & conseruatae. Quare si causa secunda potest illis interitum inferre, superest ut id faciat in genere causa efficiens, vel etiam in genere causa finalis, ad eum modum, quo censent aliqui sompni & species, & habitus naturales definire ex fine, propter quem sunt natura fluxa, & non diu persistentes: ob incommoda v. g. quæ è contrario sequerentur, si non semper durarent. Talis autem exigentia finalis nulla in Angelis apparet. Efficiens vero impossibile est. Nam vel destrueret negatione actionis, definendo influere influxum necessarium ad conseruationem Angeli: & hoc non: quia res quæ proprie creantur, pendent a solo Deo in conseruari, quæ ac in fieri. Conseruatio enim huiusmodi rerum nihil est aliud, quàm creatio continuata, seu iugis & perennis influxus in esse rei ex nihilo productæ. Vel secundò, actione destructiua, siue per vsum aliquem virtutis inferentis interitum directè & immediatè. Et hæc actio meo iudicio est impossibilis: quia nihil potest immediatè definire, nisi per cessacionem influxus necessarij ut conseruetur. Quamdiu enim iste durat, res existit: quia habet quicquid est necessarium ut sit, quæcunque demum alia actio circa ipsum vel res alias exerceatur. Adde quòd si possibilis est huiusmodi actio directè & immediatè destructiua: illa non minùs est difficilis circa res proprie creatas, quàm si ipsa creatas: quia est æquè independens à concursu subiecti. Quare non minùs est Dei propria. Sed neque videtur, esse possibilis eiusmodi actio purè destructiua. Quia omnis actio est influxus virtutis agentis: quæ non potest in nihil influere: destructio autem tendit & terminatur ad nihil, siue ad non esse rei. Quare secundum ordinem causarum naturalium nihil est a quo Angeli possint aut debeant interitum pati. Atque eatenus saltem dici debent esse naturaliter indefectibiles.

Angeli sunt naturaliter indefectibiles respectu potentia ordinata.

Idem efficaciter colligitur ex definitione Concilij Lateranensis sub Leone X. Lateran.

MARTIN
NEUS
IN
D

SECTIO V.

Proponitur sententia affirmans Angelos exigere naturaliter incorruptionem.

Hanc partem affirmantem tenent Bañes & Molina ad artic. 5. quæst. 50. Suar. lib. 1. de Angelis cap. 9. & Th. Less. lib. 3. de Summo bono num. 112. & Magr. disp. 9. de Angelis sect. 2. quæ sententia his præcipue argumentis quaderi potest. Primo, quia in Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 8. definitur, animam rationalem non solum verè, per se, & essentialiter humani corporis formam existere & ceterum & immortalè. Vbi notanda verba illa, verè, per se, & essentialiter, quæ manifestè sonant naturalitatem & exigentiam intrinsecam. Videntur autem cadere in vtrumque extremum propositionis, & connecti per particulas, non solum & ceterum, verum & immortalis. Si autem anima intellectiva sunt intrinsecè immortales & essentialiter in actu primo, seu quoad exigentiam; ergo à fortiori Angeli, qui sunt perfectiores: vnde videtur affirmari. Cyril. supra cit. cum sic ait: Quæ naturis præcipue insunt, ea respectu Creatoris nihil sunt. Quare sicut ignis combustivus quidem est, sed non Deo: sic Angelus immortalis quidem est, sed non Deo. Hæc Cyrillus: cuius hæc verba specialiter notanda sunt, Quæ naturis præcipue insunt. Notanda etiam est illa comparatio ignis & Angeli, in virtute comburèdi, & manendi perpetuò. Quam vtramque dicit præcipue inesse eorum naturis: adeoq; intrinsecè & essentialiter: quod enim est præcipuè in qualibet re, est illius essentia. Huc etiam facit, quod, ut supra notavimus, multi Antiquorum definiunt Angelum, substantiam incorpoream, intellectualem, immortalem; intrinsecè scilicet, & ex natura sua immortalem, æquè ac incorpoream & intellectualem. Item quòd non implicet, tales à Deo creari substantias, quæ exigant naturaliter esse perpetuò, postquam creatæ sunt: in quæ diuinam imitentur naturam, quæ per necessitatem quandam essentialitatem, & absolutam exigit semper esse, ac nullo modo posse deficere substantialiter. Vtq; in impetu proiectis impresso, & in sono, & speciebus sensuum externorum, est existentia tantum ad persistendum brevissimo tempore, quo fungantur officio ad quod à natura instituta sunt: eoque elapso naturaliter desinunt: nam nulla alia causa desinunt: probabilior afferri potest: species verò internæ: & habitus naturales longius quidem durant, desuetudine tamen sola desinunt tandem. Deo concursum subtrahente, quem ulterius non exigunt. Planta autem, & animalia, certas habent vitæ periodos, ad quas naturaliter tendunt, easque exigunt, ut pro aliquo tempore perficiantur, & adoleant, tum in statu perfecto aliquandiu stent, à quo deinceps sensim ad senium labantur, & ad interi-

387

Sententia affirmans. Probat ex Lateran.

Cyryll

394

Probat ratione.

sess. 8. vbi in quadam fidei declaratione à Concilio vniuerso approbata, damnat omnes qui de natura anime rationalis ausi sunt dicere quòd mortalis sit. Quam opinionem ait esse vnum ex perniciosissimis erroribus à fidelibus semper explosum. Et subdit: sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse. Cum illa non solum verè, & per se, & essentialiter humani corporis forma existat: verum & immortalis. Quòd manifestè constat ex Euangelio, cum Dominus ait, Animam autem occidere non possunt. Et, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Quibus verbis Concilium docet animam rationalem verè, & per se, & essentialiter, ac proinde ex natura sua, esse immortalè eo sensu, ut à tormentis & aliis causis naturalibus, mortem corporis inferentibus, interimi non possit. Si autem anima rationalis est talis natura: multò magis Angeli, quibus perfectius conuenit spiritualitas & immortalitas, ut ipsorum excellentia præ anima suadet.

Anima rationalis est immortalis naturaliter, & essentialiter, & ceterum potentia.

37. Dionys.

Cyryll.

Athanas. August.

Damasc.

Sine Angelus naturaliter indefectibilis, & ceterum potentia absolute.

Eodem sensu intelligendum puto id quod supra reulimus ex Dionys. cap. 4. de diuin. nom. initio, Angelos habere vitam sempiternam, & que immitti non potest (à causis naturalibus) & omni interitu & morte solutam ac liberam. Et illud Cyrilli lib. 8. Theauri cap. 2. Quæ naturis præcipue insunt, ea respectu Creatoris nihil sunt. Quare sicut ignis combustivus quidem est, sed non Deo: sic Angelus immortalis quidem est, sed non Deo. Quibus verbis Cyrillus hoc saltem intendit, quòd sicut ignis naturaliter ita est combustivus, ut eius vis à nullo agente creato suspendi possit, sed solum à Deo: sic Angelus ita est immortalis, ut à nullo alio, quàm à solo Deo possit impediti, ne perpetuò sit. Hoc etiam saltem intendunt veteres illi, qui aiunt, Immortale, esse differentiam naturæ Angelicæ, eamq; ponunt in eius definitione. Definitio enim debet tradi per naturalia & essentialia, quoad fieri potest. Quare eorum sensus est, Angelos esse talis naturæ & essentia, ut saltem respectu causarum naturalium sint immortales, id est, indefectibiles. Sic autem Angelum definiunt S. Athanas. in lib. de communi essentia Diuinitatis, Augustin. vel potius alius antiquus auctor apud Augustin. in tractatu de cognitione veræ vitæ cap. 6. & Damascen. in lib. Institutionum cap. 7. An verò alio sensu Angeli sint naturaliter indefectibiles, etiam respectu potentia absolute, ita ut exigant naturam suam, & ab intrinsecò, semper esse, postquæ producti sunt: sintque ad hoc ita determinati, ut Deus aliter faciens violentiam inferat, sicut si ignem calore priuaret, aut causam secundam concursu debito; quia faceret contra exigentiam intrinsecam, siue naturalem quandam necessitatem perpetuò manendi postquam semel creati sunt, grauis est controuersia, quæ sequentibus sectionibus examinanda est.

tum, ad id ut prius mori sit illis violentum, & contra naturalem ipsorum exigentiam, prout talis sunt naturæ & speciei: appetunt enim naturaliter suam perfectionem in eadem specie: sic dari possunt substantiæ nobilioris & longioris exigentiæ, Deo similiore, & ab entibus successivis remotiores, quæ (si quæ dantur distincta à permanentibus) sunt tantum quando sunt & fluunt, nequæ exigunt naturaliter permanere in esse. Ita ut triplicem esse naturam varietas. Quædam, quæ naturaliter existunt indivisibiliter seu non permanent. Alia, quæ permanent, sed defectibiliter. Alia quæ permanent & indefectibiliter. Quemadmodum quoad locum, quædam exigunt punctum loci duntaxat, ut puncta quantitatis. Alia, spatium divisibile, sed finitum, ut corpora finita quantitatis seu molis. Alia, quæ simpliciter infinitum & immensum, ut Deus, & corpus si daretur, ut dari potest, molis immensæ, & vndeque interminatæ. Posito autem quod dari possint substantiæ naturaliter exigentes semper esse de cætero postquam creatæ sunt, ita ut illis sit violentum & contranaturale desinere: probabilius est Angelos tales esse, propter ea quæ ex Concilio Lateran. & Cyrillo Alexand. & ex ratione paulo ante attulimus. Maxime cum nihil momenti maioris obijciatur in contrarium.

Nam quod dicitur 1. Timoth. 6. solum Deum habere immortalitatem: dictum est de immortalitate essentiali, independenti, & absolute necessaria, seu penitus indefectibili: sicut solo dicitur habere bonitatem Marci 10. vers. 18. ut omnitiam tres alias expositiones Patrum, nobis fauentes, quas refert Vasq. disp. 182. cap. ult. in fine: de immortalitate peccati: de immutabilitate in melius, vel in peius: & de immortalitate eius solius inter Reges & Potentes, quibus cum Paulus Deus sibi comparat: ut indicant verba in medietate præcedentia, *Rex regum, & Dominus dominantium.*

Cyrillus vero & alij Patres ab eodem Vasq. contrarium sentiente relati, & VI. Synodus Generalis act. 13. dicentes Angelos esse immortales, non per naturam, sed per gratiam eos à corruptione coercentem, intelligendū sunt de gratia latius sumpta, pro beneficio conservationis, sine quo non habent Angeli vi solius naturæ, ut immortales sint perpetuoque in esse perseverare. Nam ut recte notat Suar. lib. 1. cap. 10. num. 4. quando dicitur Angelos naturam suam esse immortales, particula *Naturam suam*, dupliciter sumi potest. Primum, ut significat idem, quod, ex vi sua essentia, & à se, sine influxu alterius. Et hoc hæreticum est, negatum à Concilio, & Patribus supra citatis. Hoc enim est dicere Angelos habere esse independentem, & incausatum. Et huic sensui opponunt Patres, esse immortales per gratiam, id est, per beneficium Dei, quale est beneficium creationis, & conservationis, quæ quatenus dantur ex

Dei liberalitate, gratia vocatur à Patribus & Conciliis, ut agnoscunt & fatentur Aduersarij, & nominatim Vasques disp. cit. cap. 3. num. 11. Secundò, sumi potest, ut tantum significat naturalem inclinationem & exigentiam ad non deficiendum. Et ita verum est, & non negatum à Conciliis & Patribus, Angelos, etiã respectu Dei, esse immortales naturam suam: id est, habere naturalem inclinationem & exigentiam, ut ne à Deo quidem interimantur, & interitus sit illis violentus & contranaturalis: sicut esset igni privari calore: vel capillis secundis, privari copiosu Dei generali naturaliter debito ad operandum.

Quod autem Vasq. ibidem cap. 2. num. 5. & 9. opponit, omnem creaturam ex se mutabilem esse, etiã secundum substantiam, respectu potentia diuinæ: idque naturam suam, & intrinsicè cuiuslibet rei creatæ competere. Non videtur: quia responderi facile potest, Angelis quidem naturam suam conuenire, ut possint mutari à Deo substantialiter & destrui: at non ut possint deseri naturaliter: siue ut id violentum illis non sit, & contra exigentiam naturalem. Sicut lapidi naturam suam conuenit, ut possit sursum proijci: at non ut motus sursum sit ei naturalis & minime violentus. Et vniuersim in creatura qualibet, respectu Dei, est potentia obedientialis ex ipsius rei natura, & ab ipsiusseco, ad omnia quæ non repugnant. At non ad omnia naturaliter efficienda vel patienda, obediendo Deo, qui potest supra, & contra naturalem rerum inclinationem, & exigentiam operari.

Non videtur etiam id quod obijciunt, & in quo magnam vim faciunt aliqui Recentiores: Ut aliquid naturam suam immortale dicatur, requiri non modò ut possit, sed ut debeat non mori, ita ut mors sit contra debitum naturæ ipsius: Hoc autem debitum debet esse vis quædam ad arcendam mortem, & ad obtinendam perseverantiam vitæ. Quam vim non habent Angeli: quia cum non sint à se, habent existentiam dependentem à conservatione causæ. Ergo si nullam vim habent ad conseruationem, non habent etiam ad perseverantiam existendi quatenus à causarum conseruatione dependentem. Quæmodò nullam res habet vim, nec subiectiuam, nec actiuam, ad sui productionem, quia ut haberet vim producendi, præsupponeretur existere: ita nec habet vim ad conseruationem, quia debet præsupponi iam permanere in existendo, quod conseruationi præsupponitur. Item, cum Angeli conseruatio sit idem cum prima eius productione: quemadmodum nullam habebant exigentiam naturalem ut producerentur hi Angeli potius quam alij, quos Deus non creauit: ita non magis eis tribuitur ex debito naturali conseruatio, quam data sit productio.

Ad hæc enim responderi facile potest, ut aliquid dicatur immortale naturam suam, sufficere exigentiam naturalem non

Non repugnat creaturæ

Vasq.

Non repugnat creaturæ Patribus.

Suar.

non moriendi, cui debeat naturaliter
 iō mori, & ratione cuius mors
 reddatur violenta & contranaturalis. Eam
 verò inesse Angelis probabiliter persua-
 dent argumenta superius allata. Nec ob-
 best, quod Angeli, antequam producerentur,
 non habuerint exigentiam vt produ-
 cerentur. Nam animalia quoque non ha-
 buerunt exigentiam vt producerentur; &
 tamen postquam producta sunt, habent na-
 turalem exigentiam permanendi, vt persi-
 ciantur naturaliter, & attingant periodum
 suæ speciei naturaliter definitam. Discrimen
 verò magnum est eius quod est, & eius quod
 non est. Nam quod non est, cum nihil sit,
 non mirum est, si non habet veram & rea-
 lem exigentiam adualē vt producatur,
 quicquid sit de obiectiua, de qua mox. Ac
 verò quod est, quemadmodum habet veram
 & actualement exigentiam ad obtinendas
 proprietates suas, & statum connaturalem
 magnitudinis, roboris, densitatis, inten-
 sionis &c. Ita & durationis quæ in plu-
 rimis ad perfectiones alias obtinendas ne-
 cessaria est, vt in plantis & animalibus.
 Porro exigentia non est actu formaliter,
 nisi eo tempore quo est; obiectiue tamen
 potest respicere tempus futurum, &
 esse pro illo obiectiue spectato, circa
 que illud exercere officium reale respicien-
 di & exigendi. Sicut enim ius morale
 ad debitum solvendum respicit illud pro
 tempore futuro, & solutionem futuram
 exigit: sic ius naturale, seu exigentia,
 potest exigere aliquod futurum. Sic etiam
 æternitas diuina radicalis exigit naturali-
 ter totum tempus futurum in æternum.
 Et exigentia naturalis plantarum, & ani-
 malium, status in perfecti obtinendi,
 de futuro est. Et appetitus naturalis bea-
 tudinis, futurum respicit. Et iuxta senten-
 tiam plurimum, vno partium temporis,
 quæ est essentialiter vno partis antecedentis,
 & subsequens temporaneæ, quatenus par-
 tem antecedentem afficit, est incompleta
 essentialiter, exigens sui cōplementum affi-
 ciens partem subsequentem: & vice versa,
 vt est partis subsequentis, est incompleta &
 connexa essentialiter cum complemento
 afficiente partem antecedentem. Quibus
 exemplis satis liquet exigentiam naturalem
 posse esse ad aliquid posterius tempore.

44. Frustra verò opponunt aliqui exigentiam
 istam esse actum primum, qui debet reperiri
 simul tempore cum actu secundo, quem exi-
 git, vt natura prior illo. Implicat autem vl-
 lam exigentiam realem Angeli simul tem-
 pore reperiri cum permanentia esse Angeli-
 ci, velut eodem instanti temporis priorem
 naturā tali esse, vt permanente. Quia exi-
 gentia naturalis Angeli est ipse Angelus vt a-
 ctu existens. Est verò euidenter impossibile
 Angelum, vt existentem, esse priorem natura
 seipso vt existente in eodem instanti tēporis.

Responderi enim facile potest illam exi-
 gentiam dici actum primum grammaticali-
 Thomus I.

ter tantum, quia per modum potentia fig-
 nificatur: proprie verò esse naturalem
 quandam necessitatem, & conditionem
 essentialē naturę Angelicę. Sicut Exi-
 gentia Dei absoluta vt semper sit, non est
 actus primus naturę prior tota æternitate:
 sed est absoluta necessitas essendi sine prin-
 cipio & fine. Idemque dico de necessi-
 tate intrinseca essendi personarum diuina-
 rum productarum, quæ sine errore nega-
 ri illis nequit, etiam ratione eius, quæ pro-
 cedunt, quodue distinguuntur realiter à per-
 sonis producentibus.

Cum autem addunt, omnem actum
 primum posse componi cum secundo, id
 est, simul cum illo existere, vt natura tan-
 tum posteriori, id est, dependente à primo:
 fallitur si hoc etiam intelligunt de acti-
 primo grammaticaliter sic dicto. Alioqui
 v. g. res annihilabilis posset coniungi cum
 actu annihilationis: id est, esse quando an-
 nihilatur, & quando amplius non est. Sunt
 etiam iura quadam, quæ positione actus
 secundi, quem exigunt, extinguuntur: adeo-
 que cum illo non permanent, vt ius ad de-
 bitum pecuniarium, cuius solutio & exhi-
 bitio extinguit ius & debitum. Quod autem
 extinguitur, non est eo instanti quo ex-
 tinguitur, quia pro tunc amittit esse. Si-
 cut ex opposito, id quod producit, est eo
 instanti quo producit, quia pro eo instan-
 ti accipit esse, & transit de non esse ad es-
 se. Est quoque fallum id quod sapiens
 inculcant aduersarij, exigentiam natura-
 lem suę necessitatem perpetuò essendi
 non posse aliud esse, quam vim aliquam
 actiuam aut passiuam respectu actus secundi
 perpetuò essendi. Nam inde sequeretur
 agentia creata non exigere naturaliter con-
 cursum diuinum, ad quem non habent
 potentiam actiuam neque passiuam. Et
 tamen nemo negat fore illis violentum &
 contranaturale, si non agant defectu con-
 cursus diuini, positis omnibus alijs aduen-
 dum necessarijs. Sequeretur etiam Deum
 non habere essentialē exigentiam, siue ab-
 solutam necessitatem essendi in æternum,
 ad quod nullam vim habet actiuam, nec pas-
 siuam. Neque enim producit vel recipit rea-
 liter in seipso æternitatem, sequeretur de-
 niue personas productas in Trinitate non
 habere naturalem exigentiam, siue neces-
 sitatem existendi ab æterno & in æternum:
 quia non habent vim actiuam, nec pas-
 siuam ad totam æternitatem. Quæ tamen
 omnia euidenter sunt falsa.

Instabis, quia si valet ratio naturalis
 superius allata, posse scilicet dari creatu-
 ras similes Deo in exigentia durationis in-
 terminata à parte post, probari posset
 similiter possibiles esse creaturas Deo si-
 milis in exigentia durationis, terminata
 à parte ante: ita vt si creentur in tempo-
 re, non creentur connaturaliter, quia exi-
 gunt ab æterno prodaci. Quemadmodum
 productiones diuinæ ad intra, earumque
 L. I.

45.
 Possunt
 omnes ac-
 tus pri-
 mi com-
 poni cum
 secundo

46.
 Possunt
 dari crea-
 tura exi-
 gens sui
 productio-
 nem ab æ-
 terno?

termini, exigunt esse ab æterno, & contraria productio, si esset possibilis, violenta illis foret. Quæ admodum etiam violentum foret animali produci in statu senili. Nam privatio status antecedens, saltem perfecti, esset illi contranaturalis: quippe contra naturalem appetitum propria perfectionis. Consequens autem absurdum videtur. Nam alioquin aut Deus produxerit huiusmodi creaturas ab æterno, quod contra fidem est: aut violenter cum illis egi, privando æterna existentiam, contra naturalem ipsarum existentiam: quod à suavi Dei providentia videtur alienum.

47. *Respondeo primò negando paritatem.* Tale enim creaturæ exigentes esse ab æterno, exigent quoque durare semper à parte post. Longè autem maior perfectio est exigentia talis, quàm exigentia solùm perseverandi postea productione. Quare licet creatura non foret capax prioris exigentiæ: non sequitur fore incapacem posterioris, longè imperferentis.

Respondeo secundò non apertè implicare tale genus creaturarum esse possibile. Ac supposito quod Angelus verb. grat. poterit creari ab æterno: non videtur quare non potuerit illi concreari actus supernaturalis, enuncians Angelum illum, & quicquid est in illo, esse ab æterno. Qui actus, cum naturaliter sit verus, & de se enunciaret se æternum esse, sicut naturaliter æternus, ita ut ab intrinseco illi repugnaret incipere vel desinere. Neque videtur ratio superius allata. Nam quemadmodum Deus alia quædam, propter fines bonos, non constituit in statu naturali, sed contra ipsorum existentiam: cuiusmodi est quod omnes terre partes extingui non æquè distent à genero: quod quæ aqua terre circumfusa non sit, sed partim lucis, & partim tenebrarum locis inclusa, partim etiam supra cælos, hoc est, supra firmamentum suspensa, ut habetur in Genesi cap. I. v. 6. & 7. & clarius psal. 148. v. 4. & Daniel. 3. v. 60. ubi apertè distinguuntur aquæ illæ supra cælos, à nubibus, de quibus postea fit mentio v. 73. sic etiam potuit Deus naturali talium creaturarum inclinationi vel exigentiæ non obsequi.

SECTIO VI.

Probatur sententiæ negans, & respondetur argumentis oppositis.

48. *His non obstantibus, partem negantem præferendam censeo, quàm sequitur Vaso, disp. 182. cap. 2. Post Bonavent. in 1. dist. 8. prima parte distinctionis art. 2. quest. 2. & Gabr. in 2. dist. 2. quest. 1. art. 2. conclusi. 6. qui hoc ut mini-*

um docent, cum dicunt Angelos ex natura sua non determinare sed maiorem determinationem, quàm res aliæ: sed ex puro Dei beneplacito provenire quòd durent in æternum. Quæquam excedunt & falluntur, si putant parèem omnino esse rationem Angelorum, aut animæ rationalis, & aliorum rerum, quæ in rebus ipsis naturalibus habent causas suæ corruptionis aut destructionis.

Moveor autem ad ita sentiendum, non tantis rationibus, in quibus magnam vim faciunt Recentiores quidam: parum enim momenti habere mihi videntur, & gratis multa supponere, quàm autoritate sextæ Synodi Generalis, & sanctorum Patrum, quibus non potest facile satisfieri ab assertoribus contrariæ sententiæ. Nam in VI. Synodo Generali act. 11. in Epist. Sophronij, quæ approbatur act. 13. sic dicitur: *Angeli immortales perseverant, non naturam revera incorruptam, propriam immortalitatem habentes essentialiter: sed gratiam à Deo sortiti sunt, quæ immortalitatem largiuntur, & in corruptionem eis promittit.* Similiter modo Cyrillus Alexand. lib. 8. Theofauri cap. 2. *Angelus, inquit, immortalis quædam res est, propter voluntatem & gratiam salutatoris.* Et, *solus Deus proprie immortalis est, quia naturaliter id habet, cætera per gratiam, sicut creaturæ, id est, vitæ creaturæ.* B. Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. *Immortalis, inquit, est Angelus, non natura sed gratia.* Si autem Angelis naturaliter debita esset immortalitas, ita ut non possent destrui à Deo, nisi vim faciente ipsorum naturæ, & aliquid naturaliter ipsis debitum negante, ut si ignem privaret calore, aut concursu debito ad calefaciendum: non posset verè dici Angelos non esse immortales naturâ, sed gratiâ. Sicut non potest verè dici ignem non esse calidum aut calefactivum naturâ, sed gratiâ. Quod enim est tale naturali debito, vel exigentiâ, est tale natura sua: quia naturalis exigentia nihil est aliud, quàm ipsa natura.

Neque satisfacit quod responsum fuit num. 40. gratiæ nomine intelligi influxum Dei necessarium ut Angelus in esse perseveret, qui influxus dicitur gratia latè, eo sensu quòd donum creationis appellatur gratia, & docent Patres Concilij Africani apud Sanctum Augustinum epist. 95. Nam donum creationis non vocatur gratia à Patribus illis, nisi quatenus gratis datum fuit, nullis ex parte nostræ precedentibus meritis, vel crearentur: sic enim ipsi loquuntur. *Etsi non quadam improbanda ratione dicitur gratia Dei, quæ creari sumus, ut non nihil esse sumus &c.* Et paulò post: *Vnde & ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.* Id est, non precedente titulo aliquo meriti, vel naturali debito: sic enim non esset ex pure gratuita Dei bonitate. Quare similiter immortalitas Angelorum

dicitur gratia eo sensu, quo Patres Africa- ni gratia nomen extendunt ad donum crea- tionis: debet eorum perseverantia in perpetuum non esse ex debito naturali, sed ex gra- tuita Dei bonitate, cuius dona sunt sine po- nentia, quique non admittit esse, quod semel dedit, nisi causa secundae id exigant.

51. Dices, non tantum creationem ipsam, sed etiam alia naturalia, quae ipsam conse- quuntur ex debito naturali, posse vocari gratiam, in radice: ratione scilicet ipsius creationis, quae nullo titulo debita erat, fuitque pure gratis donata. Quemadmo- dum vita aeterna, quamvis debita meritis, vocatur gratia Rom. 6. ratione primae vo- cationis, quae fuit pure gratuita.

Respondeo ita esse, sed id non suffi- cere ut conservatio, seu perseverantia & immortalitas Angelorum, dicatur simplici- ter esse per gratiam, & non per naturam, sicut dicitur à Concilio & Patribus supra citatis. Quemadmodum non bene diceretur vitam aeternam, non dari meritis, sed ex gratia: aut hominem ratiocinari, loqui, ambulare, per gratiam non per naturam: vel ignem non calefacere, & solem non illuminare per naturam, sed per gratiam: quae & simi- lia à nullo Concilio vel Theologo dicuntur, & sunt aperte falsa: quia quod est ex debito & exigentia naturali, non potest vere dici non esse à natura: licet ut sit, requiratur Dei influxus, aut concursus naturaliter debitus.

52. Ad primum autem argumentum con- trariae sententiae. Respondeo sensum Con- cilio Lateran. & Cyrilli Alexandr. locis ci- tatis esse illum, quem diximus num. 35. An- gelos scilicet & animas rationales esse naturam suam immortales respectu causarum natura- lium, à quibus destrui non possunt; & res- pectu potentiae Dei ordinariae, non operan- tis nisi secundum exigentiam causarum se- cundarum: licet non habeant aliam necessi- tatem intrinsecam, aut exigentiam naturalem, ut perpetuo sint: neque sint naturam suam incorruptibiles respectu potentiae absolutae, ita ut exigant naturam suam & ab intrinseco semper esse, sicutque ad hoc ita determinati, ut Deus aliter faciens, violentiam inferat: sicut si ig- nem calore privaret, aut causam secundam concursu debito, ut voluit Aduersarij. Hanc esse mentem Cyrilli patet: quia eodem ca- pite, post verba in objectione relata, addit, solum Deum esse proprie immortalen quia naturaliter id habet: cetera per gratiam, quia sunt creaturae. Quibus scilicet non ma- gis debetur naturaliter conservatio, quam creatio. De Concilio vero Lateran. idem li- quet: tum quia affirmat suam definitionem de immortalitate animae, manifeste con- stare ex Evangelio, cum Dominus ait, Ani- mam autem non possunt occidere &c. Quae, & alia Scripturae verba ibidem allata, non aliud dicunt, quam non posse animas ratio- nales vi causarum naturalium periri. Ergo signum manifestum est Concilium non aliud intendere. Tum etiam quia dicitur

dem oppositum esse vnum ex perniciosis er- roribus à fidelibus semper expolis. At er- ror quidem perniciosus est, & à fidelibus semper expolis, dicere quod animae ratio- nales possint vi causarum naturalium in- teriri: ut corpora. Non autem dicere quod perpetuo perseverent per continuum beneficium Dei, conservantis res à se crea- tas, quamdiu causa naturales non exigunt oppositum: atque ita in perpetuum ani- mas conservantis; quia nulla causa na- turalis, quae interitum illis affere possit, aut quae illum exigat, siue dispositio, siue formaliter, aut alio modo.

Ad secundum, Respondeo Damascen- num, & alios Patres ibi citatos, sumere, *immortalis*, eo sensu, quo iam expressimus. Alioqui enim Damascenus sibi con- tradiceret. Quippe qui lib. 2. de fide cap. 3. di- scerte sic affirmat: *Immortalis est Angelus, non natura, sed gratia.* Adde Suarem, præcipuum ex Aduersarijs, hoc ipsum af- firmare tom. 1. in 1. 2. tract. de Beatit. disp. 14. sect. 2. num. 4. ubi ait: *Creatum non posse alia ratione dici incorruptibilem & perpetuam, nisi quia neque habet con- trarium, neque aliquod principium intra- secum corruptionis, & consequenter neque extrinsecum creatum: sed solum potest desi- nere esse per suspensionem divini influxus.*

Ad tertium Dico, Si illa perfectio pos- sibilis est connaturaliter alicui substantiae creabili: non tamen Angelis convenire, ut docent VI. Synodus Generalis, & Pa- tres citati num. 49. Omnino autem excellen- ter perfecta esse debet illa substantia, quae haberet influxum divinum tam necessariò sibi connexum. Ex eo enim colligimus substantiam divinam, & personalitates di- vinas, esse perfectissimas, quia existunt absoluta necessitate. Post illam vero ne- cessitate existendi, quae nequit creaturae con- venire, non possumus aliam enjigen. forem concipere, quam eam per quam aliquis ita esse intelligatur, ut debitum fuerit in Deo, vi naturae illius, ad illud producen- dum, aut ad perpetuò conservandum, postquam productum est. Ergo ex ea col- ligere debemus, tantam esse illius substan- tiae perfectionem, ut inter substantias crea- biles teneat ordinem excellentissimum. At Angeli non sunt tanta perfectionis: quippe qui paulò magis ab hominibus distant, ut dicitur psal. 8. v. 6. multòque minùs animae rationales, quae sunt naturaliter An- gelis inferiores, ut ex eodem loco colligi- tur, & nemo diffidet.

Alia vero est ratio de animalibus; quae non nisi lapsu aliquo temporis assequi pos- sunt substantialem suam perfectionem naturalem, quam naturaliter appetunt: & alia de Angelis, quae ab initio perfecti sunt substantialiter, & non egent aeternitate à parte post, ut assequantur perfectiones ac- cidentales sibi naturaliter debitas. Quod si dicas naturalem, esse Angelis aliquam beatit-

53. Explican- tur Patres citati in contrariis.

Suat.

Substantia creata quae caret seipso esse perfectissimum esset.

54. Differen- tia inter Angelos & animalia.

Lateran.

tudines, quam assequi non possunt sine perpetuitate essendi: alioquin enim quiescere non possunt, & ubi non est quies, non est beatitudo. Respondeo beatitudinem naturalem Angelorum in eo consistere, quod quamdiu existunt Dei beneficio, exerceant rectissimas operationes, præsertim circa Deum cognoscendum & amandum, debentque in eo rationabiliter quiescere. Neque plus postulat appetitus eorum naturalis, nec eorum appetitu plus desiderare possint: quemadmodum hominibus est facile desiderare ut vita corpora nunquam finiat. Verum beatitudo naturalis non postulat, ut satiatur appetitus quilibet efficitus, etiam irrationalis: & sufficit homini, si sit beatus et homo, ut rectè ait Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 10. Haberet verò Angelus in quo quiesceret naturaliter, scilicet suam substantiam à nullo agente naturali posse interiri, & Deum nihil perimere, nisi iuxta exigentiam causam naturalem: adeoque se in perpetuum à Deo conservatum iri. Naturalis enim Dei providentia, circa seipsum & alia creata, non est Angelis ignota.

Aristot.

SECTIO VII.

De numero Angelorum.

55. Angelorum numerus valde magnus.

55. **E**ssent plures Angelos, & quidem maximo numero, testatur sacra litera: Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies milia centena milia assistebant ei.* Apocal. 5. *Audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium: Siue, ut est in textu Græcæ, quædam quæ singulæ continent decies milia centena millia millium.* Job, 25. *Nunquid scis numerus stultorum eius? Et ad Hebr. 1. *Assistebat multorum millium Angelorum frequentiam.* Et quidem valde conueniens fuit creari Angelos maximo numero. Tam ut Deus liberalissimè perfectioribus creaturis se communicaret: tum etiam ut omnipotentiam suam magis ostenderet, tot simul spiritus, tamque nobiles, unico instanti creatos: tum denique ad maiorem aule sue celestis maiestatem, & dignitatem gloriæ, quia in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis, Proverb. 14. v. 28.*

56.

Incertum est quævis sit.

56. **Q**uævis autem sit ille numerus incertum est, quia nec Scriptura, nec aliud quidquam certò & præcisè id docet. Quod ut ostendam, suppono dupliciter inquiri posse, quævis sit numerus Angelorum. Primò absolute & præcisè. Secundò comparatiuè, puta sit maior tota multitudo hominum, vel etiam quantum substantiarum corporarum? Hoc supposito, & reiecto errore Aristotelis 12. Metaphys. tex. 48. existimantis Angelos esse tantum 47. quot scilicet ad varios motus corpo-

Aristot.

rum celestium necessarios esse putaret: quasi verò Angeli fuerint tantum creati propter motum cælorum; & bonum rerum inferiorum: ac non potius per se expetiti, ut creaturæ nobilissimæ, & ad Deum glorificandum, laudandum, & colendum altissimæ, multò magis quam homines, cæli, & alia corpora: Hoc inquam errore reiecto, certum est Angelorum numerum, qui ut cõstat ex citatis Scripturæ locis longè maior est, non posse absolute & præcisè à nobis designari. Scriptura enim, verbis supra relatis, cum certum ponit numerum Angelorum, non loquitur de omnibus, bonis quæ ac malis: & determinatum numerum ponit pro indeterminato. Et interpretes, & sancti Patres ibidem agnoscunt. Alia verò traditio certa nulla profertur. Sed ipsi Patres antiquissimi, ut Dionys. cap. 14. de cælesti Hierarch. Ireneus lib. 2. cap. 6. & alij, fatentur numerum illum ignotum nobis esse præcisè: imò non magnè esse, ut respectu nostri innumerabilem existimari possit.

Comparatiuè autem loquendo sunt qui putent Angelos nonaginta nouem partibus superare totam multitudinem hominum: propter parabolam de centum ouibus Luc. 15. Verum ibidè additur alia parabola drachmarum decem: unde ali' colligat superare tantum partibus nouem. Et quidem S. Basilius lib. 4. reuel. cap. 11. reuelatum sibi fuisse affirmat: Deum creasse Angelos decem minimè, & amplius, plures quam homines. Sed nequillà reuelatio certa est: neque ipsa cum dicit, *plus quàm decem Angelos inueniri pro vnoquoque homine*, designat præcisè excessum. Neque etiam ex parabolis allatus certò colligi potest. Nam ibi numerus certus, sicut & alibi sapius, ponitur pro incerto. Et aliò spectat vtraque parabola, nimirum ad significandum Christi affectum tantum esse, ut vel vnum hominem à grege errandum, relicto alijs nonaginta nouem, quæsiturus sit. Vel ut ait August. lib. 2. q. euangelic. quæst. 32. quod Christus homines superbos, & potentes, & sapientes sæculi, multò plures despexerit. Aut nõ fuisse futurum completum statum Beatorum, & gaudium Christi plenum, nisi omnis natura humanæ deperdita, ad numerum illum reuocaretur & restituta, ut alij quidam interpretantur. Ex quibus expositionibus prima magis placet. Et quævis non improbabili hæc ad Angelos referatur à Greg. Magno, Theophyl. & alijs: potest tamè inter naturas, nõ inter indiuidua fieri cõparatio. Quæ excessus ille determinatus vnde quævis incertus est.

57. Alij contra, putant maiorem esse numerum hominum, quàm Angelorum. Quod sic colligunt: Homines saluandi tot sunt, quot Angeli mali: quia tot erunt beati homines, quot ceciderunt Angeli, ruinam ex pari paraturi. Alij verò, tertia pars Angelorum cecidit, quando Draco tertiam partem stellarum traxit Apoc. 12. Beati verò non sunt tertia pars hominum: *Multis enim velati, pauci electi: &, Arcta via est quæ ducit*

Dionys. Ireneus

57.

Sic ne motus Angelorum numerus quam locum habet.

August.

58.

ad quam et pauci inueniunt eam. Ergo plures sunt homines quam Angeli.

Sed contra: primò, fallum est homines tantum ex accidenti ruinæ Angelorum, & non per se fuisse illis destinatos: ideòque totidem præcisè saluandos. Secundò, illa reparatio fieri posset sine æqualitate indiuiduorum, conferendo extensiuè pluribus hominum indiuiduis tantum gloriæ, quantum fuisset intensiuè in paucioribus Angelis, vel contra. Tertio, incertum est, an Lucifer tertiam partem Angelorum præcisè traxerit. Nam Apoc. 12. numerus certus ponitur pro incerto. Et sensus literalis est de Antichristo tracturò in errorem & penitenciam magnam partem fidelium, etiam doctiorum & præstantiorum, & illarum instar in firmamento Ecclesiæ fulgentium, vt doceant interpretes capituli citati.

Incertius est quod dicunt aliqui, æqualem fore numerum Angelorum & hominum, propter illud Dauid. 12. v. 8. *Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.* Sic enim legunt LXX. Interpretes, pro eo quod est in vulgata, *Iuxta numerum filiorum Israel.* Sed legendum est cum vulgata, ex Hebræo, Chaldaico, Symmacho, & Aquila, vt etiam legi in codicibus aliquibus LXX. interpretum testantur Origenes & alij. Sensusque est, Deum, cum Babylone linguas confunderet, & in varias terræ partes homines dispergeret, iam tum terram Canaan filijs Israel destinasse in sufficientem & commodam olim habitationem tradendam.

60. Alij denique, ex quibus est D. Thom. quæst. 50. art. 3. censent multitudinem Angelorum excedere omnem multitudinem rerum materialium. Quod D. Thomas probat primò ex Dionys. cap. 14. de cœlest. Hierarch. sic aiente: *Multi sunt boni exercitus supernarum mentium, infirmam et confusam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem.* Additque ibidem Dionys. Scripturam numeram Angelorum maximis numeris in se replicatis, & myriadum myriadibus explicare solere. Probat secundò hac ratione: quia cum perfectio vniversi fuerit à Deo præcipuè intenta in creatione rerum: quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu fuerunt creata. Quare sicut Deus corpora cœlestia incorruptibilia, & perfectiora sublunariis in eo modo effèdi, condidit in mole infinitè penè maiori quam sublunaria: sic Angelos incorruptibiles creauit logè maiori quantitate, non continua, sed discretà, id est maiori numero, quam cætera omnia ipsis inferiora. Quod idem repetit quæst. 112. art. 4. ad 2.

61. Verum prioris loci ex Dionysio relati alius sensus est, vt Suarez, Vasq. & alij rectè notarunt. Tantum enim ait multitudinem Angelorum excedere omnem numerum ex ijs quibus vti solemus: ita vt nosse computandi modus, & nomina quibus

maximos numeros designamus, ad Angelorum numerum non perueniant. Reliqua quæ D. Thom. subiunxit, non sufficiunt tantæ multitudini cerò adstruendæ. Et ex illius ratione sequetur maiorem esse multitudinem hominum, quam brutorum, plantarum, & rerum aliarum inferiorum: quod non est verum. Quare licet certum sit multitudinem Angelorum valde magnam esse: comparationes tamen illæ omnes incertæ sunt. Neque præcisè definiti potest, quot sint, non modò absolute, sed neque etiam comparatiue.

SECTIO VII.

De specifica distinctione Angelorum.

His de numero Angelorum præmissis, quæstio superest, an sint omnes eiusdem speciei, an diuersæ, an partim eiusdem, partim diuersæ? Qua de re res sunt Theologorum sententiæ.

Prima est S. Thomæ quæst. 50. art. 4. & in quæst. de spiritualibus creaturis art. 8. Caietan. de ente & essentia cap. 5. q. 9. Nazarij ad quæst. 50. art. 4. contrauers. 2. Granad. tract. 1. de Angelis disput. 2. hum. 9. affirmantium omnes Angelos differre specie inter se, esseque impossibile dari plures Angelos solo numero diuersos. Impossibile, inquam, vel absolute & simpliciter, vt sentiunt Caietan. & alij post eum citati: vel de potentia ordinaria, vt videtur sententiæ D. Thom. opusc. 16. § Restat autem, ubi sic ait: *Intellectus, si naturaliter esset vnus omnium (vt finxit Auerroes) quia non haberet naturalem causam multiplicationis, esset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec per implicatio contradictionis.* Par autem vel maior est ratio, vt Angeli quoque illam sortiri possent, neque nisi in eo apparet vmbra contradictionis.

Prima pars huius sententiæ, quod scilicet omnes Angeli sint specie diuersi, nullique omnino solo numero differentes, probatur à Caietan: quia multiplicatio indiuiduorum non intenditur per se, sed propter speciei conseruationem. Ergo Angeli, cum sint incorruptibiles, non debuerunt numero multiplicari. Secunda vero pars, quod scilicet non possint solo numero differre, probatur à D. Thomæ quæst. 50. art. 4. quia quæcunque conueniunt specie, & differunt numero; conueniunt in forma, & distinguuntur materialiter. Cum ergo Angeli non sint compositi ex materia & forma, vt dictum est supra, impossibile est duos Angelos esse vnus speciei, & solo numero differre. Sicut etiam impossibiles sunt plures albedines separatae, aut plures humanitates: cum albedines non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus subiectis.

82.
Aliqui esse
sunt omnes
Angelos
diuersæ spe-
cie.
D. Thom.
Caiet.
Nazar.
Granad.

D. Thom.

64.
Alj: enset
differre so
lo nume-
ro.

Secunda sententia, priori contraria, est Angelos omnes differre solo numero. Primo quia difficile est intelligere, quomodo Angeli possint specie differre. In illis enim attenditur maxime intellectus, ex quo, eiusque actione, de substantia iudicandum est. Est autem difficile intelligere & explicare, quomodo intellectus sint specificè diversi: cum omnes sint ad omnia intelligenda, diverso tantum modo, non modo diversus non videtur posse constituere diversitatem specificam. Secundo, quæcunque ex Scriptura, Patribus, & experientia proferri solent ad probandam Angelorum inæqualitatem naturalem, falsam possunt sine specifica diversitate. Brevis maior & minor non variant essentiam, sicut non sunt de conceptu essentiali. Licet ergo alij alijs sint naturaliter intelligentiores & potentiores: non sequitur esse specie diferentes. Potest enim id oriri ex differentia entitativa intra eandem speciem, qualem non pauci inter animas racionales constituunt, & inter partes intensivas qualitatum, & extensivas animarum materialium. Adde tertio Patres, inter rationes, cum homines redempti, non Angeli, hanc dare: quia in hominibus tota natura corruperat, non in Angelis. Supponunt ergo Angelos esse unius naturæ, ut homines. Quod disertius affirmant Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 21. ubi ait, omnes Angelos esse eiusdem naturæ. Et Damascen. lib. de *Decoris* cap. 1. dicens, unam esse naturam omnium Angelorum, ut & omnium hominum. Et Basil. lib. 3. contra Eunom. in principio, aens prioritatem in personis non impedire unitatem essentiam. Angeli enim sunt priores alij alijs, & tamen eiusdem essentia. Et Athanas. in questionibus ad Antiochum q. 7. ubi affirmat eandem esse Angelorum & Damasceni essentiam, sicut & hominum. Et q. 4. adit Angelos quidem ordinibus differre, ut voluit Magnus Dionysius; sed esse eiusdem speciei, sicut & homines.

Anselm.

Damascen.

Basil.

Athanas.

65.
Vera sententia.

Tertia sententia, & media inter præcedentes, affirmat Angelos partim specie, partim solo numero differre. Ita docent communiter Theologi vel in 2. dist. 3. vel ad art. 4. q. 50. Eius autem probatio his tribus propositionibus continetur. 1. Possibiles esse plures Angelos specie diferentes. 2. Possibiles etiam esse plures Angelos solo numero diversos. 3. His duobus suppositis probabilius esse Deum creasse Angelos partim specie, partim numero, diferentes: scilicet que in mundo spiritali similem quandam varietatem illi quæ cernitur in mundo corporeo. Quæ tria singulatim probanda & explicanda sunt.

66.

Alj: enset
differre so
lo nume-
ro.

Dico igitur primo, possibiles esse plures Angelos specie diferentes. Probarur, quia ex parte Dei est potentia simpliciter infinita, & ex parte obiecti nulla apparet implicantia contradictionis. Quin potius incredibile videtur tantam specie-

rum varietatem & multitudinem in rebus corporeis creati potuisse. In gradu vero spiritali completo, unicum tantum. Quia si essentia divina sit minus imitabilis & participabilis à spiritibus creatis, quam à substantijs corporeis, à quibus variè in infinitum participari potest: aut gradus cognoscitivi & intellectivi non sit æquè multiplicabilis, ac gradus sensitivi, qui specificè in infinitum multiplicari potest, & res ipsa tam multiplex est. Omnino essentia divina, etiam in ratione spiritus, est infinite participabilis: neque adeo quate ab vlla specie Angelorum sola, præsertim finita, participari potest. Imò cum data quæcunque creaturæ, Deus possit aliam perfectiorem creare, æque ita perfectius & perfectius in infinitum participari à creaturis: potest supra quamcunque speciem Angelicam, producere aliam & aliam perfectionem in infinitum.

Neque est adeo difficilis explicatio diversitas illa specifica Angelorum. Possunt enim facile concipi seipsis differre inter se: sicut differunt plus quam specificè, tum à Deo, tum ab anima rationali. Vix à Deo superantur perfectione substantiali intellectiva, plus quam specificè; ipsique animas racionales excedunt, etiam quatenus spirituales & intellectivæ sunt: ne alij alios excedere possunt specificè in gradu intellectuali completo; & consequenter in operatione: ita ut plura similes, & nobilius perfectiusque intelligant. Unde etiam species, sive infusas, sive acquisite, habeant ampliores: & consequenter maiori quoque polleant volendi & operandi facultate.

Dico secundò, dari quoque posse plures Angelos solo numero diferentes. Probarur quia nulla apparet contradictio in eo quod datur duo Angeli naturæ plane similis: sicut duo homines, duo lapides, duæ animæ racionales, duæ albedines. Si quæ enim in eo esset contradictio: maxime illa quam prætendunt Thomistæ, dari scilicet numericam distinctionem sine ipsius principio formali distinctivo. Quia ubi non est materia, non est principium distinctionis pure numeralis. Quippe quæ non desumitur, neque desumi potest, nisi à materia. Sed contra. Quia vel Thomistæ volunt, materiam esse principium formæ intrinsecum cuiuscunque distinctionis pure numeralis: adeo ut res nullæ inter se differant solo numero, nisi penes materiam: & hoc est evidenter alienum à veritate, planeque improbabile. Nam composita physica eiusdem speciei differunt numero penes formam, æque ac penes materiam, ex. gr. duo homines non minus differunt numero secundum animam rationalem, quam secundum corpus. Et duæ animæ racionales non minus sunt diversæ numero intrinsecè per se ipsas formaliter, quam duo corpora, aut duæ materiæ affectæ quantitate. Similiterque duæ albe-

66.
Pestum et
tiam cent
plures so-
lo numero
differen-
tes.

Materia
non est
principium
distinctio-
nis nume-
ricæ.

dines non minus differunt numero intrinsecè per seipsas formaliter, quam duæ quantitates, aut duæ materiæ quantitate affectæ, quas Thomistæ volunt esse principium indiuiduationis. Generaliter enim numquodque per id quod est intrinsecè à parte rei, est formaliter distinctum ab omni alio, & immultiplicabile realiter in plura secundum ipsum.

Granad. Vel secundò volunt, vt exponit Granad. supra n. 10. quamlibet rem esse quiddè indiuiduam seipsa intrinsecè & formaliter: sed tamen distinctionem purè numeralem dicere habitudinem intrinsecam ad materiam, & reperiri non posse nisi in re, quæ est materia, aut certè materiam respicit tanquam forma vel modus illius. Sed contra quia multa distinguuntur solo numero, quæ neque sunt materia, neque illam respiciunt tanquam forma vel modus illius, vt duo lumina gloriæ, duæ visiones beatificæ, duæ actus cognitionis, aut voluntatis Angelicæ, circa idem obiectum, simili modo tendentes, duo habitus supernaturales fidei, spei, vel charitatis. Quod si respondet Granad. se per materiam intelligere non modò rem quamlibet extensam, & corpoream; sed etiam quodcunque subiectum siue materiale, siue spirituale, vt addit ibidem paulò post: In isto quia primò hæc expositio

D. Thom. discedit manifestè à sententia D. Thomæ, qui quæst. 50. art. 4. manifestè nomine materiæ intelligit materiam corpoream verè ac propriè dictam: vt euidenter ostendit ratio, quæ probat Angelos non posse solo numero differre: quia non sunt compositi ex materia & forma, vt dictum est supra (inquit) nempe art. 2. eiusdem quæstionis, vbi loquitur de materia propriè sumpta, & quidem etiam quantitate affecta, quam solam ibidem esse vult principium distinctionis numericæ. Idemque est sensus Thomistarum affirmantium principium indiuiduationis esse materiam affectam quantitate. Secundò, si ad distinctionem purè numeralem sufficit esse materiam, id est; subiectum spirituale, vel illam respicere: Angelus est materia hoc sensu, in quantum est subiectum spirituale suorum actuum, & aliorum accidentium: imò & propriæ hypostaseos & existentie, secundum Thomistas, qui putant illam distingui ab essentia à parte rei. Quare Angelus non deerit principium distinctionis purè numericæ. Atque ita ratio aduersariorum, prout explicatur à Granado, seipsam planè destruit. Deinde illa ipsa quæ dicunt ordinem ad materiam, non distinguuntur penes materiam intrinsecè, sed per propriam entitatem, quæ sunt id quod sunt. Per id enim quod sunt, distinguuntur formaliter ab omni alio: quia per illud sunt hoc, & nihil aliud. Ergo similiter alie res, quæ non dicunt ordinem ad materiam, possunt nihilominus differre numero formaliter & intrinsecè per suam entitatem, quæ non minus sunt hæc vna res certa & determinata, & distinctaque realiter à quavis alia.

69. Confirmatur, quia si res quæ dicunt ordinem ad materiam, differrent per illam, siue

intrinsecè, siue etiam tantum terminatiuè omnes huiusmodi res differentes numero deberent differre per habitudinem ad materiam numero diuersas: vt nimirum à diversitate numerica materiarum, sortirentur diuersitatem numericam inter se. Sed hoc est falsum: quia differunt numero formaliter & intrinsecè secundum se, quamuis non dicant ordinem vnaquæque ad vnicam numerò materiam certam & indiuiduam; sed singulæ ad quamuis: vt manifestè patet, exemplo animæ rationalis: cuius ex quouis cibo indifferenter alantur homines, & cuiuscunque alimenti materiam sibi aggerent, ad quæ illam in formant anima sua rationali, eadem numero & indiuidua, ac simpliciter realiter & indiuisibili. Quare ne quidem animæ rationales sunt singulares terminatiuè per habitudinem ad materiam. Item accidentia Eucharistica indiuiduo differunt sine materia, quam in se habeant, vel in quâ recipiuntur: & cuiuscunque materiæ per se vniri possunt. Et quamuis esset albedo vna in pluribus sobiectis: non idè esset multiplex. Sicut natura diuina non est multiplex in tribus personis, sed vna singulariter.

Item sicut materiæ & quantitates, quæ per Thomistas sunt prima ratio indiuiduationis, differunt formaliter & intrinsecè seipsis indiuidualiter: ita res alie quælibet possunt seipsis intrinsecè differre, ac inessentialitè differunt. Nam albedo V. g. vt distincta ab ipsa materia quantitate affecta, singularis est, singulari actione producta, demonstrabilis vt hæc determinata & certa, distinctaque omni alio quod non est ipsa, & immultiplicabilis in multa, quæ sicut multæ albedines, & tamen sint albedo illa ipsa, quæ sic realiter à seipsa diuideretur, essetque vna & multiplex realiter id est, vna & non vna. Sic ergo possunt Angeli multiplicari numero intra eandem speciem, citè materiam, vel quantitatem, per quam numericè distinguuntur. Cùmque nulla aliunde difficultas, vel implicancia proferatur: non est negandum omnipotentiæ diuinæ, quod possit Angelos producere solo numero diuersos. Quin potius sicut animas rationales multiplicare potest in infinitum: sic Angelos. Nec enim obstat, quod animæ sint incompleti spiritus, Angeli vero completi. Quia non propterea totam sine speciei latitudinem extensam absorbent.

Malè autem comparantur à Thomistis abstracta realiter à materia, cum homine abstracto metaphysicè, vniuersali, & immultiplicabili, vt tali. Nam Angeli & res abstracta realiter à materia, id est, immaterialia, non propterea abstrahunt ab indiuiduatione, neque realiter possunt ab illa abstrahere. Est enim impossibile vt sint, & à parte rei singularia non sint. At homo abstractus metaphysicè à singularibus, abstrahit per mentem ab indiuiduatione, & est metaphysicè immultiplicabilis numericè manendo in illa abstractione: quia multipli-

Res. que libet differre seipsa numericè ab aliis.

Occurritur obiectioni.



catio debet fieri per contractionem ad differentias indiuiduantes, à quibus ille conceptus abstrahit. Verùm huiusmodi Vniuersale non est vnum realiter, sed tantum ratione seu conceptu. Quatenus id quod multiplex est, aut esse potest à parte rei, concipitur confusè vno conceptu vniuersali per modum vnius; id est, multa quæ inter se conueniunt, concipiuntur non cogitando de reali eorum distinctione & diuersitate: sed tantum illa exprimentum secundum id quod est illis commune vniuersali. Neque existit aut existere potest vniuersale cum illa abstractione, & præcisione ab omni differentia indiuiduali: sed si existit, est necessariò tot indiuidua, quæ ea sunt quibus conuenit ratio significata nomine & conceptu vniuersali. Neque fieri potest vniuersaliter existat, aut sit aliquid ab illis omnibus distinctum & separatum. Potest & alio sensu homo abstractus metaphysicè dici in multiplicabilis, vt talis: quia non possunt dari plures conceptus obiectiui dissimiles hominis abstractissimi & vniuersalissimi sumpti: cum iste inuoluat quicquid habet naturam hominis. At non ita se habet quilibet Angelus prout existit à parte rei. Verùm quoque non est id quod ait Caietas, indiuidua intèdi tantum ad speciei cõseruationem. Nã astrã v. g. sũt incorruptibilia, naturaliter, salte de facto non corrumpuntur. Et tamen multa sunt eiusdem speciei, vt in stellã. Intenduntur ergo indiuidua etiam vt species compleatur magis: & quod illi deest in vno indiuiduo, suppletur in alijs.

Multitudo indiuiduorum non interitur solum ob speciem cõseruationem.

Angeli possunt naturaliter differre numericè.

Hinc collige Angelos posse solo numero differre, non tantum per potentiam Dei absolutam, sed etiam per potentiam ordinariam, siue operantem secundum rerum naturas. Quia nimirum Angeli non minùs habent in seipsis principium formale distinctionis numericæ, quod est propria ipsorum entitas, et est hæc, certa, & determinata, distinctaque realiter à qualibet alia, quàm anima rationalis, & cætera superioris in exemplum alla, quæ Thomistæ non dubitent posse conaturaliter multiplicari purè numericè. Et quidem nisi haberent Angeli in seipsis principium formale distinctionis numericæ: non apparet quomodo posset illud suppleri à Deo supernaturaliter operante. Deus enim non potest neque per seipsum neque per aliquid aliud, suppleri principium formale intrinsecum distinctionis, quod, vt ostendimus, non est aliud, quàm propria entitas cuiusque rei. Est autem impossibile. Entitatem cuiusque rei esse vel Deum, vel aliquid aliud ab ipsa distinctum realiter. Ac sicut implicat posse supernaturaliter differre genere vel specie, ita quæ ex natura sua non sunt apte differre: ita non minùs impossibile est differre numero. Tam enim differentia numerica est ipsamet entitas rei numero differentis: quàm ratio generica vel specifica est entitas rei differentis genere vel specie: & quidem tota, sed diuersimodè solum considerata, confusè

aut distinctiùs, vt suppono ex Metaphysica. Dico tertio, Probabilis esse, cum creatis Angelos partim specie, & partim numero differentes: seruasseque in mundo spiritali varietatem similem illi, quæ cernitur in mundo corporali. Ita vt in omnibus aut ferè omnibus Angelorum speciebus sint plura indiuidua. Prima pars huius conclusionis, quod probabilis sit esse reipsa inter Angelos varietatem specificam, probatur primò ex Scriptura, quæ docet esse inter Angelos aliquam inæqualitatem, etiam naturalem, quandoquidem reperitur quoque inter Dæmones ipsos, donis omnibus supernaturalibus spoliatos. Constat enim ex Ephes. 6. v. 12. esse inter Dæmones (etiam nunc, post peccatum & damnationem, in qua versantur) principatus & potestates: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi retores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitia in cœlestibus.* Et Coloss. 2. v. 15. *Expulians principatus & potestates, tradidit confidenter, palam triumphans illos in seipso.* Et 1. Cor. 15. v. 24. adduntur virtutes principibus, & potestatibus, dicunturque esse eua euandæ per Christum, cum omnibus Dæmonum principibus & potestatibus, id est, penitus vincendæ in iudicio, vt ne amplius electis nocent.

Neque dici potest Dæmones ita vocari, non propter inæqualitatem aliquam, quam habeant reipsa: sed ab illa quam habuerunt, breui illo tempore, quo fuerunt in gratia, vel quam habuissent, si peccauerant, & ad gradum gloriæ, ad quem destinabantur, peruenissent. Nam Paulus locis citatis nominat principatus, & potestates, atque virtutes, tum vt ex tantorum hostium virtutibus, & expressione talium ordinum, non infamotum inter Angelos, exciret nos ad generosius sollicitiùsque pugnandum: tum etiam vt ex eodem capite magis commendet victoriam Christi, de tam magnis potentibusque hostibus triumphantis. Atqui si hæc tantum dicerentur per extrinsecam denominationem à præterito, inepta essent ad vtramque Pauli intentionem. Neque enim maius esset nobis, aut Christo, vincere Dæmones viribus pares alijs in præsentia, & qui tantum ab illis differrent, quod olim maioribus gratiæ donis essent abusi, essentque eatenus contemptibiliores.

Eodem argumento probatur non posse hæc nomina significare tantum moralem quendam inæqualitatem & differentiam, quæ nec sic inter Dæmones ex eorum placito & institutione. Nimirum ex eo sortium, quod varia inter se officia & nomina sortiri voluerint, pares alioqui natura & viribus. Sed neque etiam significant accidentalem aliquam differentiam inter Dæmones, quorum aliqui sint intelligentiores propter differentiam organorum, vt sit inter homines eiusdem speciei. Quia Dæmones carent organis, & temperamenti diuersitate, cum sint puri spiritus, vt supra ostendimus. Superest

73. Dicitur partim specie, partim numero.

Probat differre specie.

74.

75.

ergo ut differant secundum substantiam & naturam ipsam, quæ in vniuersis sit nobilior & perfectior, quam in aliis. Quo supposito, probabilius est differentiam illam esse specificam, & non solum entitativam intra eandem speciem: qualem aliqui imaginantur esse inter animas racionales. Maxime cum excessus Angelorum aliorum supra alios sit tantus, & tam multiplex, ut dicemus paulo post.

76. Probatum secundum ex Patribus, qui partim comparant excessum & differentiam quæ est inter Angelos ipsos, cum differentia & excessu qui est inter Angelos & homines: qui excessus certissime est essentialis & specificus: ut facit Dionys. cap. 5. de Diuin. nom. pag. 226. & 227. editio nis Lansleij: & cap. 11. de cœlesti Hierarch. ubi diuersitatem essentialem inter Angelos non obscure agnoscit. Partim etiam docent differentiam inter Angelos in supernaturalibus, proportionatam esse naturalium perfectioni: ita ut tanto plus gratiæ receperint & gloriæ, quanto naturæ perfectiores erant. Ita Dionys. cap. 6. de cœlesti Hierarch. ubi dicit, perfectiores Angelos in naturâ, esse Deo propinquiores, & præcellere alios, tum in officio, tum in splendoribus gratiæ & gloriæ: affirmatque se ita à Paulo Apôtolo edoctum fuisse. Et Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 16. disertè ait cœlorum virtutes, iuxta proportionem quæ se inuicem sperant, habere à Spiritu sancto sanctificationis mensuram. Et Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. asserit Angelos pro sua quemque dignitate, luminis gratiæque participes factos esse. Ergo agnoscit inter Angelos naturalem excessum, & quidem valde magnum: iuxta cuius proportionem, acceperint gratiæ & gloriæ diuersitatem, & excessum, qui excessus inter illos valde magnus est.

77. Eundem excessum naturalem agnoscit Ecclesia, cum in Rituali Exorcismorum Dæmonem sic compellat: *Audi Sathana, nequissimo spiritus, Magister Dæmonum*, &c. Ibidemque iubet Exorcistam quærere à Dæmone, ex quo sit ordine? Quod sit nomen magistratus eius? Et sub qua potestate Dæmonum sit? Quæ interrogationes supponunt esse inter Dæmones ordinem vel Hierarchicum, & alios aliis subesse, ab illisque doceri ut magistris. At hæc differentia & subordinatio vel consistit, vel fundatur ex parte in differentia perfectionis nature, propter quam Dæmones consenserunt in eligendum nobilissimum qui cæteris præset. Quique cum aliquos in regimini partem assumpsit, & alios aliis præfecit: credibile est præfecisse nobiliores ignobilioribus, ut subordinatio plus haberet efficacitatis & constantiæ, à maiore vi intelligendi, & maiori potestate naturali eorum qui aliis dominantur: Regnum autem Diaboli constans esse supponit Christus Luc. 11. v. 18. Denique ipsi Dæmones in Exorcismis farentur se viribus & intelligentia esse inæquales. Et Magi sunt alij aliis potentiores, prout cum Dæmone

potentiore pactum inierunt, ut experientia docet, & exemplis confirmat. Deius disquisit. Mag. lib. 2. q. 30. Hic autem excessus potentie & intelligentiæ inter Dæmones, non potest referri, ut supra dixi, ad diuersitatem organorum, quibus Angeli carunt, quia puri spiritus sunt.

78. Probatum tercio ratione: Nam supposita possibilitate diuersitatis specificæ inter Angelos, probabilius videtur Deum plurimas eorum species creasse. Quia diuersitas illa ad perfectionem vniuersæ ad Dei diuitias manifestandas, & ad cœlestis aulae maiestatem & pulchritudinem plurimum facit. Neque obest, quæ sociati inter Angelos specierum diuersitas. Nam inter Angelos & animas beatas futura est societas perfecta, quauis naturâ dissimiles. Probabilius, inquam, est Deum, qui tantam varietatem & multitudinem specierum produxit in mundo corporeo, plurimas quoque species nature spiritualis creasse, & fortè plures, quam sint species rerum quarumlibet materialium, etiam sumptarum. Quod ut minimum affirmat S. Thom. q. 50. art. 3. & q. 112. art. 4. Si autem ita est: non est solum differentia specifica inter tres Hierarchias Angelorum, vel inter nouem Choros, sed in quolibet Choro, siue ordine, erunt plurimæ species: ita tamen ut plus differant omnes Angeli qui sunt vnus & eiusdem Chori, ab aliis qui ad alium Chorum pertinent. Et quilibet Hierarchia plus differat ab altera, quam vnus Chorus ab alio Choro eiusdem Hierarchiæ. Sicut inter animalia dantur variæ differentie plus quàm specificæ, & maiores aliæ aliis; puta inter terrestria comparata cum aquaticis, & inter aquatica comparata cum volatilibus.

79. Secunda pars conclusionis, quod scilicet probabilius sit dari quoque Angelos numero solo diuersos, probatur quia cum in mundo corporeo Deus in omnibus ferè speciebus produxerit multa indiuidua, etiam illis que naturaliter incorruptibiles esse censentur, ut in stellis Firmamentorum multiplicatio facit, ad maiorem speciei perfectionem, & ad maiorem concordiam & societatem inter indiuidua rationis capacia: ita probabilius est Deum plura indiuidua in omnibus, aut ferè omnibus Angelorum speciebus creasse. Specie inter etiam continens fuit multiplicati indiuidua specierum illarum, quæ in aliqua in peccatum reitura Deus prouidebat, ne species tota corrueret, & nulla ex parte inemptum vltimum assequeretur. Aliis verò speciebus, quas Deus præuidit perfituras in gratia, non debuit nocere perseverantia, quæ minus maiorem suam perfectionem, & alia commoda assequeretur ex indiuiduorum multiplicatione.

80. Dixi autem, in omnibus aut ferè omnibus speciebus: quia sicut in mundo corporeo sunt aliquæ species vnico indiuiduo constantes, ut Sol, & fortè singuli alij planetæ: ita fortassis aliquæ sunt species Angelorum, in quibus nulla est indiuiduorum multitudo. Quo sensu potest facile intelligi, quod dicunt multi fab-

Delitio

78

De Thom

79

Probatum aliquos solo numero differre.

80

Etorum Patrum, quos alibi citabimus, Luciferum, Principem Angelorum rebellium, fuisse primum positivè, id est, nobiliorem & perfectiorem reliquis omnibus Angelis. Quia scilicet solus erat in sua specie, creaturarum omnium nobilissimam.

Hac sententia non est plura probabilis. Dixi præterea probabilius tantum esse Angelos partim specie, partim numero solo differre modo iam explicato: quia fatendum est rem non satis competentem esse: & non modo Theologos, sed & sanctos Patres hac in parte abire in varias sententias. Aliqui enim asserunt differre solo numero, ut Basilius, Gregorius Nazian. & alij citati in m. 64. Alij di-

cut differre specie, ut Dionys. relatus num. 76. Alij dicunt rem esse generalem, & soli Deo, qui eos creavit, notam esse: ut S. Augustin. lib. contra Origenistas & Priscillianistas ad Orosium c. 11. & Damascen. l. 2. de fide c. 3. Angelique incertitudinem distinctionis specificæ inter Angelos, quod licet possibile sint plures species formarum spiritualium componentium cum materia: tamen una sola species animarum rationalium est à Deo producta. Et in beatitudine erit inter illas magna varietas & ordo Hierarchicus. Argumeta tamen sententiarum nobis oppositarum passim videntur, & ex dictis possunt facile dilui.

DISPUTATIO TRIGESIMA SEPTIMA,

De Intellectu Angelorum.

- Sectio I. *An intellectus Angeli distinguatur realiter ab ipsius substantia?*
 Sectio II. *An actus intelligendi distinguatur realiter ab Angeli substantia?*
 Sectio III. *An intellectus Angeli, vel actus intelligendi, sit de eius essentia? Et utrum omnes intellectus Angelici sint eiusdem speciei?*
 Sectio IV. *An intellectus Angeli in agentem & passibilem distinguendus sit?*



VE S. Thomas q. 51. & dyabus sequentibus tractat de vi assumendi corpora, & que loco & motu locali Angelorum, commodius explicabuntur inferius disp. 42. ubi dicemus de potentia executiva, ad quam proximè pertinent. Quæ quia naturaliter subordinatur voluntati, & voluntas intellectui: ordo naturæ postulat, ut prius de intellectu & voluntate, de que utriusque operationibus, & perfectionibus naturalibus differamus. Dicturi postea de supernaturalibus, id est, de gratia & gloria Angelorum: de que illius oppositis, id est, de peccato & pœna Dæmonum.

De intellectu vero Angelorum disputat S. Thomas tota disp. 54. & art. 1. docet intelligere non esse ipsam substantiam Angeli: ut neque ullius alterius creaturæ. Quia id quod non est purus actus, sed aliquid potentialitatis admixtum habet, non potest esse sua actualitas: repugnat enim actualitas potentialitati. Intelligere autem est actualitas virtutis intelligentis: q. 10. & c. 2. Actionem intelligendi Angeli non esse ipsummet eius esse. Quia solum esse divinum, ut potè infinitum, est suum intelligere, & suum velle. Esse autem angeli finitum est, & determinatum ad unum genus & speciem. Unde non potest esse ipsius intelligere &